



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Augustus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

AUGUSTUS.
IN FESTO S. LAURENTII
MARTYRIS.

CONCIO PRIMA.

Amen, Amen dico vobis, nisi granum frumenti ca- *Textus.*
dens in terram mortuum fuerit, ipsum solum ma-
net, si autem mortuum fuerit, multum fructum
affert. Joannis cap. 12.

Mortificatio corporis, maximum fructum *Thema.*
adfert animæ,

S Egidii Fratris Ordinis Capucinorum assertum est: Si quis *Exordium.*
vult benè videre, eruat oculos, & fiat cæcus, si quis vult
benè audire, fiat surdus, si quis vult benè loqui, fiat mu-
tus, qui vult benè ambulare, abscindat pedes; si quis vult
benè operari, præscindat manus: Verbo; si quis vult benè vive-
re, vivere feliciter, hîc, & in æternum, se ipsum mortificet.
Si homo mortuus fuerit per omnimodam vitæ abnegationem, co-
piosum producet fructum spiritualem, scribit Deaponte lib. 5.
cant. exhort. 18. §. 2. juxta verba Thematis: *Amen Amen dico* *Textus Sæcæ*
vobis, nisi granum frumenti cadens in terram &c. Et iterum: *Scripturæ.*
Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam cu-
stodit eam. Qui Christi sunt, inquit Apostolus ad Galatas
cap. 5. carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis
 suis. Et 2. ad Corinth. c. 4. Semper mortificationem JESU in
(T) 2 corpore

- corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris. Patres audiamus: *Augmentum charitatis, diminutio est cupiditatis*, inquit Magnus Augustinus, unde faceret de utilitate jejunii: *Excrucio me plane, ut ille parcat, de de me penas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, & deleatem suavitatem ejus.* Et iterum Serm. 44. *Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est, foris despecti, intus electi. Hoc est salvationis nostrae principium,* (docet S. Bernardus Serm. 3. de circumcis.) *cum incipimus respuere, quod diligebamus, delere, unde gaudebamus, amplecti, quod timebamus, sequi, quod fugiebamus, optare, quod contemnabamus.* Unde Cassianus lib. 4. in tit. c. 43. scribit: *Mortificatione voluntatum vitia extirpantur, & marcescunt universa; expulsionem vitiorum, virtutes fructificant, atque succrescunt; pullulationem virtutum, puritas cordis acquiritur; puritate cordis Apostolica charitatu perfectio possidetur.* Perbenè scribit Climacus gradu. 4. collat. 1. *Initium quidem mortificationis, vel membrorum corporis, vel anima, voluntatis labor est; medium verò interdum labor, interdum requies, finis autem jam omni motus perturbatione, omnique laboris sensu caret. Sicut, quod seminatur, non circumficatur, nisi moriatur prius, sic qui mundo, & concupiscentiis ejus non moritur, in fructu bonorum operum non multiplicatur, superest ergò, ut mortificemus membra nostra, quae sunt super terram, quatenus nos vivificet Author vitae, perorat S. Gregorius in Psal. 142. Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, inquit S. Paulus ad Rom. c. 8. Desuper S. Thomas: Si autem Spiritu, id est, per Spiritum mortificaveritis facta carnis, id est opera, quae ex concupiscentia carnis proveniunt, vivetis vita gratiae in presenti, & vita gloriae in futuro. Hoc fundamentum est salutis nostrae, mortificare scilicet, abnegare, resignare nos ipsos, docet Henricus Suso Serm. 2. Verè si mortificaveritis carnem, per Spiritum vivetis, appetitum sensitivum per*

rationem viriliter restringendo, vivetis vita gratia, & postea S. Bruno.
 gloria; nam quicumque aguntur Spiritu Dei (quod est mortificare
 facta carnis) hi sunt filii Dei, & hac est vita aeterna. Conciona-
 tur S. Bruno super epist. S. Pauli octavam. Concludit S. Gre-
 gorius lib. 4. in 1. Regum cap. 10. Ipsa mortificatio cordis, quid
 est aliud, quam preparatio aeternae beatitudinis. Imploratâ S.
 Spiritus gratiâ desuper Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Salvator noster apud S. Matth. cap. 11. prædicit, per vim ^{Confirmatio}
 & violentiam regnum cœlorum acquirendum esse; *Regnum cœ-*
lorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hæc vis, &
 violentia in quo consistit? Dico in motu quodam, qui motus na-
 turali inclinationi ad rem aliquam est contrarius; exempli causa:
 Lapidem in altum projecis, motus ille, lapidi sursum, est motus
 violentus, quia lapis, utpotè natura sua gravis, natura sua tendit
 deorsum; sursum ergò qui lapidem jactat, naturæ ejus vim infert;
 sic etiam, qui navigat adverso flumine impetuoso, motum facit
 violentum. Natura humana nonnè ex naturæ instinctu & dicta-
 mine, ad meras voluptates, ad epulas delicatas, ad divitias, ad
 honores aspirat, ad satisfaciendum appetitui, ad vindictam inju-
 riarum sumendam inclinatur, qui ergò naturæ resistit, contra na-
 turæ appetitum agit, hic vim, & violentiam sibi facit; sed quo
 medio naturæ ita resistitur? utique mortificatione corporis, ac
 sensuum; qui abstinere à voluptatibus, imò flagellando, jejunan-
 do, carnis illecebras refrænat, qui non tam à delicatis bolis absti-
 net, imò vilissimos cibos, cinere ac felle aspergit, vix solam fa-
 mem solatur; qui offensivissimis sibi benefacit, divitias spernit, &
 paupertatem eligit; contemptum honoribus præponit, hic, hic
 vim, & violentiam sibi injicit, naturæ contrariatur, regnum cœ-
 lorum rapit, & prædatur. Ergò mortificatio corporis, & sen-
 suum, est illa vis, illa violentia, ille aries, quo cœli janua resera-
 tur; illa scala, quâ Paradisi mœnia conscenduntur; illa fortitudo,
 quâ regni cœlestis dominium, ac possessio acquiritur. Hoc Deus
 ipse charum suum servum Moysen, & Ezechielem edocere voluit.

(T) 3

CON-

CONCEPTUS II.

Statuit teroptimus Deus Moyfi singulares gratias exhibere, nempe in Ducem & Principem populi Israelitici constituere, imò Deum Pharaonis praficere. Ad hunc finem Deus Moyfi apparuit in rubo: *Apparuit ei in flamma ignis de medio rubi.* Exodi 3. Moyfi etiam jam jam ad iuaviffimum colloquium ascendere volenti, mandat Deus: *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Cur quafo Deus Moysen gratiâ, & promiffione terræ electæ ditare volens, apparuit in rubo, cur cœlestibus deliciis, & alloquio Dei, ut perfruatur Moyses, calceos solvere iubetur? Per rubum spinosum, & acutum, mortificationem corporis, & servum, Pierius intelligit, in rubo apparuit Deus Moyfi, gratias ei conferre volens singulares, indicans: Mortificatione corporis ac sensuum, Dei favores, & gratias singulares acquiri, ac certitudinem patriæ cœlestis obtineri. Audiatur S. Ambrosius de Moyse scribens lib. 2. de Par. cap. 23. *Etenim victor passionum omnium, nec ulli captus illecebris sæculi, mentem regens, carnem subjiciens, & regiam quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad similitudinem cuius scilicet, perfecta virtutis ubertate, formaturat.* Hinc iubetur & Moyses exuere calceos, ut colloquio, & consortio Dei fruatur, calceos exuere, est affectum, & appetitum ad terrena, & transitoria per mortificationem deponere, inquit S. Augustinus, & concludit S. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 1. *Si videre vis Deum sicut Moyses, solve calceamenta pedum tuorum, solve vincla sæculi, relinque calceamentum, quod terrenum est.*

CONCEPTUS III.

Ezechieli in visu cœleste Jerusalem monstratum est, & erat illud multis portis repletum, erat porta versus orientem, alia ad occidentem, alia versus meridiem, alia ad aquilonem. Cupiens Propheta hanc civitatem cœlestem ingredi, per quam putatis portam introductus est? & ei introitus patuit? dicit S. Prophetas: *Et introduxit me per portam, qua respiciebat ad Aquilonem.* Per portam ad Aquilonem Propheta in cœleste Jerusalem introductus

ductus est, cur per portam ad Aquilonem? Ab Aquilone veniunt venti asperi, frigidae tempestates naturae humanae contrariantes, corpus affligentes, & mortificantes: *Ab Aquilone omne malum.* Omne, inquam, corporibus, & naturae nostrae adversum venit; Aquilo ergo ex mente S. Hieronymi est symbolum rigidae, & austeræ corporis, ac sensus mortificationis, per portam Aquilonarem introducit Propheta omnium primò in cœleste illam mansionem, ad indicandum; per corporis, ac sensuum nostrorum mortificationem, per liberam tolerantiam rerum nobis adversantium ac contrariarum, ut per fugam voluptatum, contemptum honorum, carnis per jejunium, & abstinentiam macerationem, per sui ipsius abnegationem, vilipensionem, abjectionem, humiliationem, patere certum ingressum in cœleste Jerusalem, perveniri ad fruitionem æternorum gaudiorum. Sic concludente S. Hieronymo in Ezech. *Sic enim* (per mortificationem inquam) *pervenitur ad perfectam virtutem, hoc est, ad favorem Austri, & ad portam orientalem, in qua oritur Sol Justitie.*

CONCEPTUS IV.

Mirabilia sunt, quæ cum Jacobo contigerunt Genes. 32. Jacob Deum amplectere cupiens in pede læditur, *tetigit nervum femoris, & statim emarcuit.* Benedictionem à Deo Jacob postulat: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Super hanc supplicem Deus quærit? *Quod est nomen tibi? respondit: Jacob.* At ille, *nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Cur quæso Jacob ad amplexus amorphos Dei in pede læditur? Cur Jacob benedicendus alio nomine Israël vocatur? Per pedes inordinatos affectus, cupiditates mentis intelligit S. Bernardus Serm. in Cantic. In pede læditur Jacob, nervus femoris marcescere debuit, ut cupitis DEI amplexibus fruatur, discat Christianus, pedem & nervum cupiditatum, terrenarum delectationum, per voluntarias mortificationes atterendum, lædendum, ac truncandum esse, ut Dei suavissimis favoribus, gratiosissimis

filissimis amplexibus perfruatur. *Infirmatur fortitudo carnis* (per mortificationem, inquam, corporis & sensuum) & *crescit in nobis fortitudo amoris divini*, perorat S. Gregorius hom. 14. in Ezechielem. Et S. Augustinus tractatu 2. in Joannem habet: *Recedit amor mundi, & inhabitat amor Dei.* Jacobum benedicens Israel vocat; Jacob, idem quod *Luſtator*, Israel idem, *quod videns Deum.* Iterum documentum; luctamine, certamine, mortificatione corporis & sensuum, ad Dei visionem pervenitur, benedictiones uberes à Deo impetrantur: audite Lippomannum in Genes. *Prius in campo actionis, & contra passiones rationem perturbantes fortiter prevalere debemus, & tunc ad ipsius Dei contemplationis arcem conscendere.*

CONCEPTUS V.

Gedeon insignem victoriam obtinuit contra Madianitas, Jud. 7. Desideratis scire quibus armis? dicit Scriptura: cum hydrias, vasa testacea confregisset: Academicus emblematis loco subscribit: *E fractis victoria testis.* Quid corpus humanum est aliud, quàm vas figuli, testa lutea, corpori nostro incessanter adversantur hostes barbari, caro, mundus & Dæmon, volumus contra hos hostes insignem reportare victoriam, & bravium beatitudinis æternæ reportare, lutea corporum nostrorum vasa, crebris castigationibus confringamus, mortificemus, suadente Apostolo ad Coloss. cap. 5. *Mortificate membra vestra, qua sunt super terram. Corpus enim coopertum cilicio, Diabolus perhorrescit*, inquit S. Ambrosius ad Virg. lapsum.

CONCEPTUS VI.

Filii Israël intrarunt in terram electam Duce ac comite Moyse & Aaron, Psal. 76. *Deduxit populum suum in manu Moyse & Aaron:* inibi tum præsidium Solymæa mœnia ædificarunt, unâ manu tenentes gladium, & alterâ trullam cœmentariam, Nemia c. 4. *unâ manu suâ faciebat opus, & alterâ tenebat gladium.*

dium. Cur filios Israël per Moyſen & Aaron, hos duos Deus in terram electam deduci voluit? & cur Judæi Solymæa mœnia ædificantes, in manu unâ gladium, in alterâ trullam cœmentariam tenuerunt? Origenes hom. 17. in Numer. Per Moyſen intelligit legem, decalogum inquam, & decem Dei præcepta, per Aaron verò & Sacerdotem intelligit corporis mortificationem, summus enim Sacerdos alteri rei non intendebat, quàm jugulandis maclandisque victimis. Deduxit ergò Deus populum suum in manu Moyſis, & Aaron, quasi in terram electam, in cœli gaudia securissimi Duces sint, lex Dei, ac mortificatio, mortificatio corporis ac sensuum idèò, quia hâc mediâ, hâc comite, lex Dei cautius observatur, sanctius custoditur, perfectius adimpletur. Verba Origenis sic concludunt: *Moyſes judicat, Aaron sacrificat Deo per immolandi peritiam, opus est ergò, ut exeuntes de Egypto, non solum scientiam legis & fidei, sed operum, quibus Deo placeatur, habeamus &c. cum animæ vitia purgantur, manus Aaron operatur in nobis, & manus Moyſis nobiscum est, cum ad hæc ipsa intelligenda illuminamur ex mente.* Judæi tutum præsidium sibi ædificantes in manu unâ gladium, in alterâ trullam cœmentariam tenebant; quod trullam in manu teneant non miror, hoc enim ædificandi est instrumentum, sed ad quid, & alterâ manu tenent gladium? Non erravero dicendo: per trullam opera, & labores pios, posse intelligi, per gladium verò corporis mortificationem; ut ergò feliciter operibus nostris, orationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque virtutum actibus meritorum fabricam nobis construamus, quasi unâ manu trullam tenentes, teneamus & alterâ manu gladium mortificationis, quo carnis tentationes, Diaboli, & mundi suggestiones, à piis operibus nos detinentes, vel impedire volentes, repellamus. Indicat hoc magnus Apostolus 2. ad Corinth. cap. 6. *In omnibus nos exhibeamus sicut DEI ministros, in multa patientia, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris, & à sinistris.*

CONCEPTUS VII.

Animam electam ad empyreum conscendens oculis vestris contemplandam propono: *Ascendit per desertum, sicut virgula fumi.* Cantic. 3. capite 5. describitur gustus gaudiorum, quo anima electa nunc æternum perfruitur. *Mel & lac sub lingua ejus.* Quo duce ac comite, anima empyreum ascendit? quo medio, mel & lac, æternorum gaudiorum obtinuit? dicit medium facer Cantorum liber: *Ascendit ex aromatibus myrrha.* Cantic. 3. *Labia ejus distillaverunt myrrham primam.* Myrrha, dux & comes est animæ electæ ad astra, myrrha medium est acquisitionum æternarum dulcedinum: & quomodo myrrha? Myrrha aroma est amarum, tritum symbolum mortificationis corporis, & sensuum. Myrrha, mortificatione corporis, animam concomitante, eam ad superos elevabit: Myrrha, mortificatione mediante, pergustatur mel & lac æternarum dulcedinum. *Cum mortificata fuerit carnalitas, & propria voluntas, tunc fluent virtutum aromata, & per consummationem & triumphum hujus laboris venit ad culmen perfectionis.* Concludit Richardus à S. Victore in Cantica cap. 5. Et S. Gregorius: *Christus mortificatione vita ad perfectionem perducta, electum ab hac vita succidens, ad cæleste horreum cum sanctâ opinione inducit.*

Epilogus.

Hortor ergò cum S. Paulo ad Colloss. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; & ad Rom. 8. Si enim spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Amen.



IN FESTO

IN FESTO S. LAURENTII
MARTYRIS.

CONCIO SECUNDA.

Mortificatum multum fructum affert. Joan. 12.

Patientia est perquam utilissima.

Textus.

Thema.

Exordium.

Pngenuofus Academicus carduelem super spinas suaviter cantantem depinxit subscriptione adjecta: *Pungunt, ast nutriunt*: Adversitates hujus mundi, an non pungentes spinæ sunt? qui his spinis patienter insidet, adversa patienter tolerat, exindè corpori & animæ nutrimentum, & delectamentum, miramque utilitatem experietur. Audiamus Sacram Scripturam: *Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem facientes reportetis promissionem*, hortatur S. Paulus ad Hebræ. cap. 10. *Patientes igitur estote usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferrens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* Jacobi c. 5. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus, & miserator.* Idem. *Quoniam servasti verbum patientiæ, & ego servabo te ab horâ tentationis, quæ ventura est in orbem univèrsam tentare habitatores in terra.* Apoc. c. 3. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Lucæ 21. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incidertis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Jacobi cap. 1. *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus*

(U) 2 gaudea-

- gaudeatis exultantes. 1. Petri cap. 4. *Usque in diem sustinebit
patiens, & postea redditio iucunditatis.* Eccles. c. 1. Patres in
hanc materiam percipiamus: *Gloria aeterna est brevi tempore*
patientium, & sine fine regnantium. in Psalmum 118. *Afflictio*
in temporalibus, gaudium est in spiritualibus, scribit S. Chryso-
 stomus in Epistola 1. ad Theſſal. & apud Glossam habet: *Qui*
afflictiones ferunt grato, & patienti animo, non solum multa
peccata delent, sed & non parvam apud Deum fiduciam, & lo-
quendi libertatem obtinent. Et iterum hom. 35. in 1. ad Co-
 rinth. scribit: *Est patientia scutum inexpugnabile, turris firma,*
magna omnia repellens, & quemadmodum in abyssum maris scin-
tilla delata, huic quidem nihil obest, ipsa vero exstinguitur, sic
in animum tolerantem quidquid incidere maximarum etiam re-
rum potest, facile quidem absimitur ipsum, ille conturbabitur
prorsusque nihil, quando rebus omnibus patientia solidior est. Et
 iterum in verba: *Si esurit: Quod alii jejunio, planctibus, pre-*
tibus, sacco, cinere, ac diversis penitentia austeritatibus vix per-
ficiunt, ut nimirum sua peccata deleant, hoc nobis sine sacco, &
cinere, & jejunio, facile licet prestare, si modò ex animo iram de-
leamus, eiusque, qui nos laeserint, sincere dimittamus. Perbene
 scribit Climacus gradu 8. *Ipsa tibi vox plebeja persuadet, pro-*
brum, & contumeliam lavacrum esse vitiorum anima, solent
enim seculares, cum aliquem in faciem ignominis & contumelias
resperferint, gloriantes ad alios dicere; laevi illum, & profecto ve-
rum est. Non enim virtutes essent virtutes, inquit Zeno Ve-
 ronens. hom. 26. *Nisi rerum disciplinarumque conversionem,*
quasi quadam sollicita mater custodiret patientia. Aurea plane
 sunt verba S. Bernardi Serm. 1. de S. Andrea: *Semper lignum*
crucis vitam germinat, balsamum sudat spiritualium charisma-
tum, non est silvestris arbor, lignum vita est apprehendensque
eam. Perpulchrè S. Cyprianus de Bono Patientia: *Non in-*
vento fratres inter caelestis disciplina vias, quibus ad consequen-
da et.

da divinitus spei, ac fidei nostra ferta dirigitur, quid sit utilius, quam ut patientiam tota observantia tueamur. Patientia, inquit Bellovac. spec. moral. lib. 1. dist. 88. *patientia est merca.* *Bellovacens.* *trix prudentissima, quæ mirabiliter, & copiosè magnis meritis animam locupletat.* Cum Tertulliano finio de Patient. cap. 13. Undique igitur adstricti sumus officio patientia administranda, quia quaque ex parte, aut erroribus nostris, aut mali insidiis, aut admonitionibus Domini intervenit, usus ejus officis, magna merces, felicitas scilicet. Invocatâ S. Spiritus gratiâ, desuper Conceptus dabo. *Tertullianus.*

CONCEPTUS I.

Job cap. 37. inquit: *Ab Aquilone aurum venit.* Aurum *Confirmatio.* metallum præstantissimum, intensissimo Solis calore producitur; calor autem Solis intentior est in oriente, ac meridie, quam in occidente, & Aquilone, vel Septemtrione: Aquilo regio est frigida, aspera, gelu & nivibus, ac frigore plus quam calore abundans: cur ergò Job non potius inquit, Aurum ab oriente venit, quam ab occidente, & Aquilone? Auro producendo magis conveniens est regio calida, quam frigida; & tamen Job inquit: *Ab Aquilone aurum venit:* quid mysterii per hoc Job indicare intendit? aut quid docere? Non erravero, si per Aquilonem, regionem asperam & frigidam, patientiam in adversitatibus intellexero; per aurum verò maximum pretium, & valorem, quem patientia, & tolerantia in adversis adfert, ac parturit; audiatur S. Augustinus in Psalm. 61. *Venit tribulatio mea, venit & patientia mea, & purgatio mea, nunquid lucet aurum in fornace artificis? in monili lucebit; patiat tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem.* Eleganter Seneca lib. de Providentia c. 4. *Ipsis Deus consuluit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet, aliquid animosè, fortiterque faciendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate; gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas.* Ab Aquilone, (II) 3 à patien-

à patientia in adversis, venit aurum, meritum, inquam, quam pretiosissimum.

CONCEPTUS II.

Deus, Philistæos insectis, in specie muribus punivit, quæ terræ eorum damnum intulerunt, aërem infecerunt, unde lues, & grassans morbus oriri potuit; hanc pœnam avertere, Philistæi aureos mures confecerunt, & obtulerunt; ut legetis 1. Regum cap. 6. Cur rectè aureos, cur non ferreos, vel chalybæos? Meritum damna & gravamina, aliquot septimanis passi sunt Philistæi non legitur, eos desuper impatientiam monstrasse, sed quàm patientissimè inflictam à Deo pœnam sustinuisse; aureos ergò mures Numini offerunt; ad indicandum, patientiam in adversis, aurum habere donum, ac meritum; adversa patienter tolerata, in aurum, in summum pretium & valorem verti, & commutari. *Non invenio*, inquit S. Chrysostomus, *inter cæteras cælestis disciplinae vias, quibus ad consequenda divinitus præmia, spei, & fidei viae semita dirigitur, quid magis sit, vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam, quàm ut qui præceptis dominicis obsequio timoris, ac devotionis innitimur, patientia maximè totâ observatione tueamur*, scribit S. Cyprianus de bono patientiæ. Patientia aureum habet meritum: producamus testes.

CONCEPTUS III.

Jonathas David valedicît his verbis: *Dimittam te, ut redas in pace.* 1. Regum cap. 20. Desuper Cajetanus: *Prædicentur regnum sunt verba ista: Ergo Rex est futurus David, ut Saul ipse prophetat: 1. Regum cap. 24. Nunc scio verè, quia certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israel.* Unde prænoscit, prævidet Jonathas, prophetat, & prædicat Rex Saul, David Regem futurum? Viderat Jonathas, quomodo David tot labores patienter sustineat, tot injurias, ac persecutiones infracto animo ferat, & toleret, talis patientia concludit Jonathas, non

non potest non consequi immortalem coronam, & nunquam marcescibilem fortunam. Experitur Saul patientissimum esse David, ex tentorio ad caput Saulis fixam hastam abstulit David, Rege, hoste suo & persecutore inoffenso, partem chlamidis Regis Saul abscidit David, tam proximus soli & inermi Regi astitit, Regem, hostem suum & persecutorem, reliquit illaerum, & insignis patientia! & injuriarum tolerantia! tantam Saul in Davide expertus patientiam, indubie concludit ac prophetat: Regnaturus est in Israël, invicta patientia, & constans in adversis & laboribus tolerantia, æterni regni præfagium est; *latet corona sub persecutionum angustia, latet regnum sub laborum patientia; & ut acrius aspirans ventorum flatus, dum navim invadit, in portum velocius inducit, ita persecutionum tempestas, si patientia adsit gubernaculum, ducit ad Regnum.* Exquisite perorat more suo elegantissimus Naxera in Excurf. Moral. part. 2. in lib. 1. Regum cap. 20. §. 20. Optimè Plinius in Panegyri. *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur.* Exemplar fit Joseph Ægyptiacus.

CONCEPTUS IV.

Somniaverat olim Joseph, manipulum suum à reliquis adorari; item, vidit per somnium, quasi solem, & iunam, ac stellas undecim se adorare, quod somnium in bonam partem est interpretatus optimus Pater: *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti, num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Genes. cap. 37. Hæc patris prædictio verificata est Genes. 41. dum Joseph à Pharaone, Rege Ægypti, Prorex super univèrsam Regnum Ægypti constitutus est: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio præcedam te &c.* dixitque rursus Pharaon ad Joseph: *Ecce constitui te super univèrsam terram Ægypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Et
quando

quando tanta fortuna Joseph evenit? tunc dum odio habitus est à fratribus, dum persecutus est ab iniqua Dominâ, in vinculis, & carcere biennium luxisset? audiatur Basilius Seleucienf. Orat. *Cum velut inter ignes, tentationibus colliquefactus, & probatissimus Athletes existens, premium virtutis (patientie) regiam tulit dignitatem, carcerem thronus excipit, & fit Egypti Dominus, adultera captivus.* Fortis tolerantia, inconcussa patientia, aurea & regia habet merita.

CONCEPTUS V.

Babylonius ille Rex, ex hominum consortio expulsus: *Ferum ut bos comedit, & rore cæli corpus ejus infectum est.* Danielis cap. 4. Tamen fatetur: *Magnificentia amplior addita est mihi.* Et de Job inquit liber ejus cap. 42. *Dedit Dominus omnia, quaecunque fuerunt Job duplicia.* Quid Regem Babylonie fecit magnificentiorem? Job in duplo ditiozem reddidit? fecit constans adversariorum tolerantia, fecit in his tribulationibus invicta patientia: pro Nabuchodonosore perorat Tertullianus de Patient. cap. 13. *Cum squalore, & pædore septennii ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperavit, & quod optabilis homini est, Deo satisfacit &c.* Undique itaque adstricti sumus officio patientia administranda; usque ejus officii, magna merces, felicitas scilicet. Pro Jobo perorat idem Tertullianus de Pati. cap. 14. *Nec à respectu Dei, tot doloribus avocatus ille est.* Scriptura teste Job. cap. 2. *In omnibus non peccavit Job labiis suis.*

CONCEPTUS VI.

David à facie Absolon profugus, in itinere consolatissimum divinum auxilium, adjutorium, ac propitiationem sibi confidenter promittit: *Reddat mihi Dominus bonum.* 2. Reg. cap. 16. Unde, quo ex merito sibi bonum, gratiam, & Dei favorem David compro-

compromittit? verè maximam aduersitatem ac tribulationem patitur David; non à Turca barbaro, & gentili, sed à proprio, & uterino filio regno expellitur, vita periclitatur, mensuret, quis possit, quanta sit hæc aduersitas, quàm mordax tribulatio? indicat eam regius Psaltes verbis prægnantibus: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique ab eo, tu verò, homo unanims, dux meus, & notus meus, si simul mecum dulces capiebas cibos.* Psal. 54. In hac summa tribulatione patientissimus perseverat David, non imperat filium trucidare, sed servare; *servate mihi puerum Absolon,* 2. Regum cap. 18. In ipso itinere afflictum David, noviter affligit Semei, solutissima sua lingua, hic vir gregarius, Regi exprobrat, Regi maledicit: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem Domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo.* 2. Regum 16. Ad tantum læsæ Majestatis crimen Abisai, fidus Regis minister, excandescit, jam jam stricto ense ultionem sumpturus: *Vadam, & amputabo caput ejus.* Ast mansuetissimus, ac patientissimus David ultionem inhibet: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim precepit, ut malediceret David.* O insignis patientia! hujus meritis tam confidenter gratiam, favorem, & adjutorium divinum sibi David compromittit. *Reddet mihi Dominus bonum.* Subscribit Conceptum S. Chrysostomus apud Glossam: *Qui afflictiones ferunt, grato & patienti animo, non solum multa peccata delent, sed & non parvam apud Deum fiduciam, & loquendi libertatem obtinent.*

CONCEPTUS VII.

Genesis 22. Deus Abraham imperat: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visonis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi. Obedientissimus imperatis Abraham institit: Igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum, cumque concidisset ligna in*

Pars II.

(X)

holo-

holocaustum, abiit ad locum, quem praeceperat ei Deus. Ad radicem montis, juvenes expectare, & subsistere jubet, brevi cum filio suo reversurus ad eos: Expectate hic cum asino, ego, & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertetur ad vos. Notate verba: *Revertetur ad vos.* Utique Abraham sicero animo properat, filium suum in holocaustum immolaturus, & crematurus, ad hunc finem portat in manibus ignem & gladium: gladius minatur necem, flamma absumere holocaustum adnititur; quomodo ergo Abraham, in re tam severa, contrarium eventum, non mortem, sed vitam filii, non sibi luctum, sed gaudium, & consolationem compromittit? *Revertetur ad vos.* Quis nescit, quas cordis angustias, & multa perversa Abraham pertulerit; primo lares paternos relinquere jubetur, & ad ignotas regiones peregrinari; patienter hoc tulit Abraham, patienter tulit Abraham natale solum ignotis regionibus commutare, lares, & familiam relinquere. Secundo, fluebant tempora, & Saræ sterilitas auferebat prolis expectationem, nec tamen patientia immixta est: Tandem tertio serò datus filius, postulatur ad victimam, & gratias agit, quod Deus non eriperet, sed postuleret; proprium ac unicum, diu desideratum filium immolare jubetur, quis exprimat, quæ angustia cor paternum compresserint; patientissimus in hoc arduo negotio, nec verbo obloquitur imperitis, cordolium dissimulat generosus, mentis angustias concoquit patientissimus: Tantam patientiam, Dei singularis gratiæ matrem, & operatricem secururam confidit Abraham, non mortem, sed vitam filio, non sibi luctum, sed consolationem spondet. *Revertetur ad vos.* Subscribit cogitationem hanc Basilii Seleucus Orat. 7. *Tentatione purgat Abrahamum; patientia simulacrum, ut nitidior opere ostentato, expectantem rapiat in admirationem.* Abraham dum patientiæ labores sopit, dum Dei misericordiam tolerantia acquirit, patientia impetravit Dei speciales favores, & gratias, salutem, & vitam filio, sibi continuum gaudium, & sempiternam consolationem.

CONCEPTUS VIII.

Actu Isaac Altari impositus, sacris honoribus nobilitatur. Solum, holocausta jugulum cultro præsentia, nobilitabantur factio

cro Altaris honore; Isaac non jugulabitur, non occidetur, sed superstes relinquetur; cur ergo ut gratum DEO holocaustum, actu sacro altaris honore fruitur? *Posuit eum super struem lignorum.* Genes. 22. Quo merito hoc sacri honoris, & nobilitatis decoratur titulo? an fors eximie patientie prerogativa? Ita subscribit S. Anselmus ad cap. Epistolæ 12. ad Romanos: *Hostia vivens est corpus pro Deo afflictum.* Patienter quia Isaac facem lignorum, sibi rogam futurum, in dorso suo deportaverat, patienter quia Isaac jam jam collum jugulo præbuerat, etsi non jugulatus, occisus, & immotus sit, ut actu jugulatum, immolatum holocaustum, sacro honore nobilitatur, altari impositus gloriatur. Patientia est Numini odoriferum sacrificium; patiens sese Deo rectissime consecrat, sibi, & posteris honorum gradus, felicitatum titulos, altare perenne æternitatis ædificat.

Hortor ergo cum Cassiodoro Vari. 27. *Saluberrimam patientiam commodate, ut causis vestris ferat remedium.* Amen.



(X) 2

IN FESTO

IN FESTO S. LAURENTII
MARTYRIS.

CONCIO TERTIA.

Textus. Qui amat animam suam, perdet eam. Joan. 12.

Thema. Amor proprius, & affectus inordinatus sui, ac suorum salutem impedit.

Exordium. **S**unt, qui amorem proprium, affectum, & commoditatem erga seipsum, beneficentiam corpori suo, equo Sejano, aut vulpibus Sampsonis, comparent: ideo equo Sejano: quia hic quinque possessoribus suis fatalis fuit: ideo vulpibus Sampsonis, quia hæc ignem deportarunt nocivum. Sic amor proprius, affectus erga seipsum, beneficentia sui, nocet, obsistit, ac salutem impedit. Audiamus Sacram

Textus Sacre Scripture. Scripturam: Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam eternam custodit eam; Joan. 12. Qui delicate à pueritiâ nutrit servum suum (amorem proprium, & carnem suam) postea sentiet eum contumacem. Proverb. 29. In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, voluptatum

SS. Patres. amatores magis quàm Dei. 2. ad Tim. 2. Patres audiamus:

S. Thomas Aquinas. Amor sui quantum ad quæcunque bona, quæ sibi appetit, est principium omnium peccatorum, docet S. Thomas 22. part. 153. ar.

S. Basilius. 5. ad 3. Stipendium amoris proprii mors est, initium omnis mali, scribit S. Basilius apud Lyram lib. 2. Apoph. 1. Valde

S. Gregorius. claudit oculum cordis, amor privatus, habet S. Gregorius hom. 4. in Eze.

in Ezechiel. *Prima hominis perditio fuit, amor sui, si enim se non amaret, & Deum sibi proponeret, Deo semper esse subditus vellet, non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam: propone his voluntatem Dei, discite amare te, non amando te.* S. Augustinus Serm. 47. in cap. 17. Matth. Et iterum in Manuali cap. 26. *Si totum hominis bonum, est amare Deum, totum hominis malum seipsum amare est.* Unde in Psal. 33. scribit: *Amor proprius tartareus est, habens viscum, quo deiciat in infernum.* Conformiter Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. *Nimius amor sui, est quibuslibet causa omnium malorum.* Et S. Bernardinus habet Serm. extraord. 22. in cap. Actor. 3. *Nullum vitium adeo nocet, quantum iste proprius amor, cum sit radix omnium malorum.* Concludo cum S. Maximo apud Gratian. loc. com. fol. 627. *Amor sui est corporis ratione carens amicitia, ex qua nascitur gulositatis ratio, & inanis gloria cupiditas, ex his autem nascitur universus malorum numerus.* Spiritus S. gratia invocata, desuper Conceptus pandam.

S. Augustin.

Clemens
Alex.

S. Bernardus

S. Maximus.

CONCEPTUS I.

S. Bernardinus Senens. amorem proprium, affectum, & beneficentiam sui, crudelissimam bestiam nominat, *o crudelissima bestia, ut omnem bonitatem exterminas, fidem exstinguis, spem confringis, charitatem occidis, o impius amor!* Serm. extraord. 22. cap. 3. Act. 3. Utique illam bestiam, de qua S. Joan. in Apocalypsi cap. 13. *Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, & cornua decem, & bestia, quam vidi, similis erat Pardo, & pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os Leonis &c.* De mari falso, turbido, inquieto, ascendit bestia: Et unde amor proximus, affectus, & beneficentia sui oritur? quam de amaro, inquieto, semper turbato cordis appetitu, & jam hujus, jam illius rei inordinato affectu, & corporis sui beneficentia, quem appeti-

Confirmatio.

(X) 3

tum,

tum, affectum, beneficentiam, & amorem sui, exinde S. Gregorius lib. 12. Moral. c. 27. falsum mare intitulat: *Quid mari nomine nisi secularium mentium amara inquietudo significatur.* Optimè S. Bernardinus superius citatus: *Merito id sui divini iudicio, ut proprius amor ab amaritudine animi quodammodo estum habens, amaritudinem fugiens, in amaritudine inquietus quiescat.* Septem capita habebat bestia, & decem cornua, cur rectè septem, & non octo capita? cur rectè decem, & quare non duodecim cornua? Ad significandum; quod amor proprius, & inordinatus, ducat hominem ad extrema mala, ita ut omnia decem præcepta decalogi violet, & septem peccatis mortalibus inquinetur. Ita S. Bernardinus ut supra cap. 2. *Secunda ruina huius privati amoris est in peccatis immersio, ideo & de hac bestia dicitur: quod habet capita septem, propter septem capitalia vitia, quibus animum perversum imbuit, ut de tali homine verificetur, quod Prov. cap. 26. scriptum est: Septem nequitie sunt in corde ejus: & addit Joannes, & cornua decem propter transgressionem decem præceptorum Dei, quæ ex 7. cornibus, id est, ex septem vitiis pullulare probantur.* Ad rem magis probandam amorem proprium adeò esse vitiosum, ad speciem descendit Joannes dicendo: Bestia, symbolum amoris proprii, jam Pardo, jam Ursus, jam Leo erat, Pardo variis maculis notatur, & significata inquit Hai in Apocalypf. inordinatè se amantium, fallacem, & proditorium animum, ex quo millenas defumit fraudes & recednas, ut decipiat proximos, ut commodis sibi potiatur votis; Pedes ejus, pedes ursi, qui unicè eò defudat, ut satisfaciatur appetitibus sic se nimium amans, unicè studet, & adlaborat, etiam per fas & nefas, ut deliciis fruatur, appetitus suos repleat. Et os ejus, quod os leonis: Leo ferocissimus est, rapiendo, sternendo, dilacerando alia animalia, sibi prædam facit, sic amor proprius, affectum nimium erga seipsum, nemini parcat; ut dignitatibus potiatur, præbendis fruatur, divitias ad se attrahat &c. persequitur innocentem, vulnerat, & dilaniat proximum. Nervosè describit S. Bernardinus initio allegatus: *Si consideremus Tyrannides, particularitates, sectas, latrocinia, proditioes, puellarum, & summas*

rum deflorationes, & violationes, sacrilegia Monachorum, incendia Ecclesiarum, dispersiones populorum, & patriarum, & consimilia, qua nostris temporibus facta sunt, intelligemus, quod hæc omnia feritate, & atrocitate proprii amoris exorta sunt, ut jam de Christianitate videatur prædixisse David, cum ait: Singularis ferus, id est, proprius, seu privatus amor, depastus est eam. Tam scelestus si est amor sui, quid mirum, quod salutem impediat, homines æternum perdat.

CONCEPTUS II.

Deuteronomii cap. 20. ut inepti ad prælia Domini, sequentes hominum sortes rejiciuntur: *Quis est homo, qui edificat domum novam, & non dedicavit eam, vadat & revertatur in domum suam. Quis est homo, qui plantavit vineam, & nondum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat, vadat & revertatur in domum suam. Quis est homo, qui despondit uxorem, & non accepit eam, vadat, & revertatur in domum suam.* Cur rectè inepti rejiciuntur, qui domum novam ædificat, & nondum inhabitavit? qui vineam plantavit, & vindemias ex ea non absolvit? qui uxorem despondit, & eam nondum accepit? causam me docet Tirinus Comment. in Deuter. cap. 20. *Istud hominum genus castris abire jubebatur, ne desiderio rerum adeò expetitarum, remissius agerent in prælio, sibi que parcentes, vel in fugam capeffentes, alius & scandalo essent, & damno.* Certò qui domum novam magnis sumptibus ædificavit, magno desiderio, & affectu tenetur ad eam, circa eam diu noctuque disponit, ac ordinat, eamque inhabitare cupit. Similiter qui vineam, vel fundum recenter magno suo sudore, & industria excoluit, ac plantavit, fructus ex ea percipere exambit, unicè messem, vel vindemias cogitat. Sponsus Sponsæ suæ amoribus immersus tenetur. Ad vivum in his hominum sortibus, exemplar proprii amoris, & beneficentiæ sui ipsius, exprimitur, & rejectione talium indicatur: Amorem proprium, affectum erga seipsum, omninò ad regnum Dei

Dei

Dei obtinendum, ineptum facere, à salute æternâ impedire, retardare.

CONCEPTUS III.

Jacob Genesis 31. jubetur in charam patriam proficisci, *revertere in terram patrum tuorum*: Proficiscitur Jacob, sed tardissime, apparet ex eo, quod tertia die post abitum Jacobi, Laban insecutus Jacob, cum adhuc in via depræhenderit; *Nunciatum est Laban die tertio, quod fugerit Jacob, qui assumptis fratribus, persecutus est diebus septem, & comprehendit eum in monte Galaad*. Quomodo tam tardè, ac segniter, ad optatam patriam Jacob proficiscitur? quid moram causat? quid impedit? Item: licet Jacob Angelos, comites itineris secum habuerit: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: castra Dei sunt hæc*: tamen anxius, turbatus, pavidus, ac timidus fuit Jacob: *Timuit Jacob cadere, & perterritus divisit populum, qui secum erat*. Cur Jacob est tam anxius, turbatus, perterritus? quæ causâ tantæ tarditatis in itinere? turbationis, timoris, terroris, & perplexitatis in progressu? causâ patet ex eo, quod Jacob à divino genio accidit: Tardo in itinere, turbato, anxio, in progressu, adest Dei Angelus, qui nervum ejus rupit, & emarcescere fecit: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit*. Res profectò mira! cur nervum rupit? ut celerior sit in itinere, ut animosior in progressu, in hunc finem, si Jacob claudus fuisset, eum Angelus, valentem, & rectum efficere convenisset; sed omniam Dei sapientiam! tardum in itinere Jacobum, Angelus, DEI jussu, claudum fecit, anxium in progressu, Angelus magis debilitat, perturbat; & hoc totum in hunc finem, ut Jacob celerior fiat in itinere, fiat animosior in progressu, *tetigit nervum femoris ejus*. Quid quæso per nervum, ab Angelo tactum ac ruptum intelligendum est? dicitur sensum doctissimus Naxera Comment. in Judices c. 7. §. 25. *Rerum humanarum amorem fecit marcescere, ut qui timebat cupidus, jam despectus omnibus periculum non timeat magnanimus*. Jacob pulchritudinis amore vincitur, filiorum

studio sollicitatur, Gregum cupiditate tenetur. Amor proprius, affectus & beneficentia sui, ac suorum, nervus erat, qui Jacobum retardabat in itinere, perterritum, perplexum, anxium faciebat in progressu. Amor proprius, affectus erga se, & sua, retardant in itinere ad cœlestem patriam, impediunt ad salutem consequendam.

CONCEPTUS IV.

Moyfès videt in monte ardere rubum, & non consumi, ad quem Moyfès ascendere nititur; ast inaudit è rubo ardente sibi Deum loqui: *Ne appropies, inquit, huc, solve calceamentum de pedibus tuis.* Exodi 3. Saxosum, vepribus conlitum montem conscendere, si Moyfès nudipes fuisset, calceos induere juberi debuisset, ne pedes lædat, & cruentet. Contrarium imperat Deus: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Quid rubi ac montis, & quid calceamenti nomine est intelligendum? dicunt sensum, S. Gregorius, Ambrosius, ac Theodoretus: Per rubum ardentem S. Gregorius lib. 28. moral. c. 2. Verbum Dei incarnatum intelligit: *Quid per succensum rubum aliud ostenditur, nisi quod Christus JESUS in igne divinitatis, carnis nostra dolores, quasi rubi spinas suscepit, & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa divinitatis flamma sanavit.* Per calceamenta Theodoretus quæst. 7. amorem proprium intelligit: *Quare iussus est Moyfès calceamenta solvere? dicunt nonnulli, ut sollicitudines sæculares abjiceret, huic mortali vitæ adhaerentes:* Ad Deum accessurus Moyfès, solvere jubetur calceamenta: indicium: amorem proprium, affectum sui, ac terrenorum, vel maximè impedire, quò minus ad Deum, ad fruitionem gratiæ ejus accedere, & pertingere valeamus. Ita concludit S. Ambrosius de fuga sæculi: *Transi hinc, & videns visum magnum, sed si videre vis, solve calceamenta pedum tuorum, solve vincula sæculi, relinque quod terrenum est.*

CONCEPTUS V.

Jobum virulentissimus hostis crudelissimè aggreditur, cœli ignes armat, qui oves absumpserunt, truculentissimos in eum concitat barbaros, qui camelos & boves abegerunt, ventorum in ædificia labefactat, quorum ruina charos occidit liberos: quid ait Jobus? ne tentationibus succumbat, sed victor existat? *Surrexit Job, & scindit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit.* Quod in tribulationibus adoret, ad Deum precibus confugiat, optimè factum est; sed ad quid vestem, ad quid capillos scindit, caput tondet? Adest S. Gregorius in cap. 4. Canticum per capillos amorem proprium, affectum sui, cupiditatem, ac desiderium rerum terrenarum intelligens; & ita scribens: *Ea, qua videt, temporaliter concupiscere detestatur, sed vehementer pulchrius, & honestius est, quod cordis desiderium illibat un retinere conatur.* Conformiter Origenes lib. 1. in Job. *Ob hoc concidit, ut expeditior, atque constantior exstitisset in pralis, ut illa, qua retardant, deponeret, ut illa, qua impediunt, à se projiceret.* Notare libeat verba: *ut illa, qua retardant, deponeret, ut illa, qua impediunt, à se projiceret.* Ergo amor proprius, affectus sui, & terrenarum retardat, & impedit, quo minus contra tentationes prævaleamus, quo minus victores, & amici Dei existamus, ac salutem consequamur.

Epilogus.

S. Franciscus Salesius usque adeò amorem proprium, affectum sui negligebat, ut dicere sit solitus: se, si vel levem aliquam amoris proprii festucam in corde suo residuam nosset, illicò eam ferro, & flamma persecuturum; in vita ejus lib. 4. cap. 5. Hoc sequamur, tollamus è cordibus nostris amorem proprium, affectum erga nos ipsos, ac commoditates nostras, & obstaculum ad salutem abstulimus; nos non amando, salvabimur. Amen.



INFESTO ASSUMPTIONIS
B. V. MARIE.

CONCIO PRIMA.

Excepit eum in domum suam. Lucæ cap. 10.

Textus.

Conveniebat sacratissimum corpus MARIÆ incorruptum, ad cœlos assumi.

Thema.

Quod rore plenum quâdam naturæ vi, à radiis solaribus in aëra sublevatur; Academicus ovo sub solis fulgore in aëre suspenso, epigraphen subscripsit: *Quia rore plenum.* Quod ovum à terra in aërem attractum, & quasi sursum ascendens, oculis conspiciatur, causa est; quia rore plenum est, quem solis radius lambens, una levem ovi corticem attrahit, sursum levat: MARIÆ Virginis corpore in cœlos assumptæ, hoc ectypon est: hæc est rore gratiarum divinarum plena, & superplena: *Ave*, inquit S. Hieronymus tract. 9. ep. 10. ad Paulam & Eustochium, *ave gratia plena, & benè plena, quia cæteris per partes præstatur, Maria verò se tota infudit plenitudo gratia. Ipsa est vellus Gedeonis.* Judicum 6. *madefactum rore gratiarum*; scribit Richardus à S. Laur. lib. 1. c. 8. Rore gratiarum plenissimum corpus, hodie Sol Justitiæ, Christus JESUS, in aëra attrahit, in cœlum assumit. *Ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum.* Canticorum cap. 8. Audiamus Patres: *Qua jure suo Christo debentur, ex privilegio in Matrem Virginem extenduntur, si à labe culpa originalis illam necdum Matrem servavit, ergò etiam à corruptionis verme, & fætoris incineratione,* scribit Salmeron tract. 38. & antecedenter tractatu 37. habet: *Ut Christus ex-*

Exordium.

Patres.

Salmeron.

(Y) 2

tremum

- tremum resurrectionis diem non expectavit, sed tertio die gloriam corpori impertivit, ita S. suam genetricem postremum diem resurrectionis per singularem Dei gratiam, id est, in ipso conceptionis momento preservata, ne ulla peccati labe contaminaretur, & sicut preventa est in usu liberi arbitrii accelerato, (ut S. Augustinus, Bernardus, & S. Ambrosius docent,) denique sicut ab ipsa incarnationis mysterium, atque aqua in vinum converse miraculum suis meritis, & precibus anticipavit, ita etiam in corporis sui resurrectione preventa est à Christo in benedictionibus dulcedinis. Sanctus Bernardinus Tomo 1. Serm. 52. ad S.
- S. Bernardin. 1. in illud Psalmi: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, ita habet: Sicut non dedit Dominus videre corruptionem, id est, Christum, sic & Sanctam suam, de qua natus est Sanctus, sed corpore & animâ cælum assumpta est. Pariformiter Ildephonus Serm. 2. de Assumpt. Nec diu sacratissima Virgo post Domini ascensionem in terra potuit remanere, quam desiderabant Angeli, cælum etiam ipsum de ejus ascensione querebatur, atque ideo Spiritus Sanctus invitabat, dicens: Veni columba mea, immaculata mea. Nervosè S. Augustinus Tom. 9. lib. unico de Assumpt. Tanta sanctificatio dignior cælo est, quam terra, thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum dignum est ibi esse, ubi ipse est. Tam pretiosus enim thesaurus dignus est cælo servari, quam terra, tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Amorosè affatur B. Virginem Andreas Cretensis de Dormit. Deip. cap. 7. Quodnam sepulchrum te teget, quænam te terra accipiet, quæ cæli cælorum naturam superâssi sanctitate, quibusnam unguentis ungent tuum corpus, ex quo emanat immortalitas, ex quo Deificatio, ex quo perfectio. Sicut corruptus non fuit Mariæ parientis uterus, ita mortua caro non interit. Pariformiter S. Germanus Serm. 2. de dormitione Deip. Tuum corpus virginale, omni ex parte sanctum, ereptum ad summam incorrupti-

corruptibilitatem vita, illasum, vivum, spirans, perpetuò impo-
 sibilem indenne servatur. Finio cum S. Joan. Damasceno de
 Assumptione incorrupti corporis B. V. sic scribente: *Ubi pre-
 ciosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? ubi novus liber, in quo
 inenarrabili modo Deus Verbum, omnem manus operam inseri-
 pius est? ubi gratia abyssus? ubi sanationum pelagus? ubi fons ille,* S. Damascenus.
*ex quo vita orta est? quidnam eam in sepulchro quaritis, qua ad
 caelestia tabernacula electa est.* Mariam corpore & animâ in
 coelum esse assumptam, DEI gratiâ invocatâ Conceptibus
 probabimus.

CONCEPTUS I.

Dimicante Josue contra Gabaonitas, ut consummaret victo-
 riam, sol aliquot horis immobilis stetit, & luxit solito diutius. Confirmatio.
 Josue cap. 10. Stante sic sole, stetit & luna: *Sol & luna steterunt
 in habitaculo suo.* Habacuc cap. 3. Cur luna stat, stante sole?
 Scopus & finis Josue hic fuit: ad victoriam contra inimicos ter-
 minandam, cum sol jam ad occasum declinabat, dies fiat produ-
 ctior, & longior; stetit ergò sol, ut cupit, ac intendit Josue, diem
 ad victoriam terminandam, ad hostes profligendos, ad spolia
 congreganda, solito longiorem obtinet, ultra ordinarium cur-
 sum, horis aliquot, sol lucet, ac splendet: ad quid ergò & luna
 stetit? supervacaneum videtur, quòd & lunæ cursus cohibeatur?
 Notate: Solem habere lunam comitem motus, currit sol, pro-
 greditur & luna, sic ut sol diei, luna nocti præsit, & luceat; quia
 nunc luna comes est solis motus, & laborum, stante sole, stat &
 luna, particeps laboris & oneris, fit & particeps quietis, & feria-
 tionis. Hòc notato progredior ad argumentum Thematis:
 Christum JESUM, vocat Propheta Malachias cap. 3. Solem Ju-
 stitiæ: *Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Justitia,
 & sanitas in pedibus ejus.* S. Maria Virgo sapius luna intitu-
 latur: *Pulchra ut luna,* Cantic. cap. 6. Egregiè S. Bernardus
 in deprec. ad B. V. *Tu pulchra ut luna diceris, eiqum non im-*

(Y) 3

meritò

meritò compararis, ea enim omnium astrorum sola soli simili-
 ma comparatione, & candore venusta argenteo, cæteris in celo
 præmicat sideribus &c. Conformiter Bernardinus de Busto
 in Mariali part. II. ser. 2. Appellaris in Canticis pulchra ut lu-
 na; quemadmodum enim luna lumen à sole recipit, receptum-
 que reflectit in terram, ita tu à Sole Justitiæ, tuo dilectissi-
 mo Filio illuminaris, (nam revera lucerna tua est Agnus)
 lumenque receptum in mundum reflectis. Stetit nunc Sol
 Justitiæ, Christus JESUS, quietem, & feriatiorem agit, dum
 ascendit in cælum, sedetque ad dexteram Patris, stat & luna
 Maria Mater, corpore ac animâ è terrâ in cælum assumpta est,
 ut quæ socia fuerat motûs & laboris, socia sit & quietis, ac
 feriatioms: socia quæ fuit dolorum, & ærumnarum, socia sit &
 gaudiorum, & lætitiarum. Huc videtur loqui doctissimus Sal-
 meron tract. 28. *Victricia trophea contra naturam ô vera DEI
 Mater erexisti, & imitans Filium tuum, tuumque opificem
 omnes natura leges supergredis; quare semel verè mortua, po-
 stea cum Filio semper victura suscitaris.*

CONCEPTUS II.

Job. 28. cap. Deum avem intitulat: *Semiam ignorat avi:*
 in specie cum Joanne Racilino Serm. 7. in Ascens. Christum DEI
 Filium Ciconiæ comparavero: sed cur Ciconiæ? De Ciconia ex-
 perientia constat: parentem senio confectam in humeros suscipere,
 & in aliam ferventiorum regionem transportare; pulchra
 carmine describit Alciatus, emblemate 30:

*Aëreo insignis pietate Ciconia nido,
 Investes pullos, pignora grata fovet,
 Taliaque expectat sibi munera mutua reddi,
 Auxilio hoc quoties mater egebit anus.*

Nec

*Nec pia spes soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, praeſtat & ore cibos.*

Haud aliter Chriſtus, DEI & Mariæ Filius, ut Matri pro ſibi impenſis charitatis officiis gratiſſimus eſſet, mutuaque viciffim munera rependeret, feſſam matrem membris indutam, cum ſacro corpore ex hoc terreno climate in coeſte porravit, ut quæ piiffima parens puerum filium, in utero, in ulnis, & brachiis geſtavit, ſic & ille ipſam ad ſupernam, & ſerenam regionem deduxit, ut cum ipſo quieſceret, quæ cum ipſo laboraverat, gauderet, & lætaretur, quæ propter ipſum dolores tulit & arumnas. Ita S. Gregorius: *Ille natura, cui dictum eſt, terra es, & in terram ibis, hodie in caelum ivit, pro hac ergo noſtra carnis ſublevatione, B. Job Dominum avem vocat.* Non inepte B. V. in caelum aſſumptæ hoc Diſtichon, quod Chriſtophorus Finottus S. Marthæ dicavit, ſubſcribo:

*Cepiſti hoſpitiſ mortali in corpore Chriſtum,
Is coeſte tibi reddidit hoſpitiſium.*

CONCEPTUS III.

Arcam illam, quæ intra ſe tabulas lapideas, quibus lex Dei incifa erat, continebat, Deus ab omni carie immunem præſervari, & cum ſummâ veneratione in Sanctuario cuſtodiri voluit, nullâ ratione permittendo, ut expoſita eſſet quibuſcunque injuriis temporum: legatur liber Exodus cap. 25. & lib. Numerorum cap. 4. *Arcam de lignis Sethim compingite &c. deaurabis eam auro mundiffimo, intus & foris. Exodi 25. Deponent velam, quod pendet ante fores, involventque eo Arcam teſtimonii, & operient ruruſum velamine hyacinthinarum pellium, extendentque deſuper pallium totum hyacinthinum. Num. cap. 4. Arcæ Dei eſt MARIA: ita S. Ambroſ. Serm. 25. Arcam autem, quid niſi MARIAM dixerimus. Et S. Gregorius Thaum. Serm. 1. de Aſſumpt.*

Assumpt. Verè enim Arca est sanctissima Virgo, intrinsecus, & extrinsecus deaurata, quæ unversum sanctificationis thesaurum suscepit. In hac Arca non legis tabulæ, sed legislator ipse, non manna, sed panis vivus & cœlestis, non virga Moysis, vel Aaronis, sed prodigiorum perpetrator Deus asservatus est, quanto igitur magis privilegium istud Mariæ debebatur, corpus sacratissimum à carie immune permanens summâ veneratione in Sanctum Sanctorum, in cœlum assumptum, pretio charitatis Filii, undique inauretur, hyacinthinis gloriæ involucris, æternum fruatur. Hac Regina potens, verba sunt S. Thomæ à Villan. Conc. 2. in Assumpt. non Angeli, aut Archangeli, non etiam Cherubim, aut Seraphim alicujus manibus, sed innixa super dilectum Dei Filium, & Principem cœli, cum incredibili pompâ, & triumpho supernam civitatem ovanter ingreditur. Aureæ S. Damascenus Orat. 2. de Dormit. V. Ad eundem modum ob requiem spiritus Arca ipse novus Salomon Christus, dum mundo sublimiores cœlestium mentium ordines, dum primarios novi Testamenti viros Apostolos, unâ cum universâ plebe Sanctorum per Angelos introducit, corpus autem Apostolorum manibus portatur, Rege Regum invisibili suæ Deitatis splendore illud contegente.

CONCEPTUS IV.

Aquæ universalis diluvii, non solum ullum Arca damnatum intulerunt, neque eam submerferunt in profundum aquarum, prout aliis accidit tot mille hominum corporibus, sed potius Arcam in sublime levaverunt: Porro Arca ferebatur super aquas Genes. c. 7. Quanto major decidebat pluviarum copia, tanto Arca cœlum versus sublimius erat evecta. S. Hesy chius hom. de Deipara, Mariam Arcam intitulat: Arcâ Noë latiore, longiore, illustriore; Illa erat Arca animalium, hæc autem Arca sancta incorruptibilis; illa ipsum Noë, hæc verò ipse Noë factorem portavit; illa duas, aut tres contignationes, & mansiones habebat,

bat, hac autem universum Trinitatis complementum. Huic
 Arce Mariæ, aquæ sive culpæ originalis, sive actualis, quæ cun-
 ctas alias animas in profundum mortis demerserunt, nullum da-
 mnum intulerunt, non deprimebant, sed elevabant super: Porro
Arca ferebatur super aquas. Hunc Paradisum, inquit S. Ansel-
 mus Serm. de Assumptione, aquæ diluvii non contigerunt, quia
 MARIE sanctitas altior est, quàm peccati inundatio attingere
 possit. B. Virgo elevata fuit per eminentiam sanctitatis, scili-
 cet propter exuberantiam gratiæ, sublimitatis, & sanctitatis.
 Multiplicatio enim aquarum in Arca, denotat gratiæ plenitudi-
 nem in MARIA. Hæ autem aquæ elevaverunt Arcam, in quâ
 salvatum est universum semen generationis electæ in sublime &
 terrâ, id est, ab omni terrenitate, & amore infecto. Dixit au-
 tem in sublime, quia ad hanc puritatem, & munditiam nulla
 pura creatura ascendit, non Angeli, nec Virgines, nam Angeli ha-
 bent munditiam tantum in mente, Virgines in mente & carne,
 B. Virgo cum quâdam utriusque perfectione super omnem crea-
 turam elevata est in sublime. Sic perorat S. Bernardinus Senens.
 Serm. de Assumpt. art. 1. c. 1. Nobilissimè Richardus à S. Laur.
 lib. 10. de laud. B. V. Dicitur ergò, surge Domine in requiem
 tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ; tu per ascensionem, illa per
 assumptionem, hæc enim Arca, quando assumpta est, surrexit in
 requiem Domini, & impletum est illud Genes. cap. 8. Requievit
 Arca super montes Armenia.

CONCEPTUS V.

Dilectus fatetur Cantic. cap. 1. *Lectulus noster floridus, ti-
 gna domorum nostrorum cedrina, laquearia cypressina.* Quæ hæc
 domus? quæ laquearia? Respondet Alanus: *Domus hæc corpus
 Christi, & Virginis.* Cedrina hæc domus dicitur, & cypressina;
 cur cedrina? De cedro scribit Plinius lib. 13. cap. 5. *Materia ipsi
 æternitas, itaque & simulacra Deorum ex eâ factitârunt.* Aca-

Pars II.

(Z)

demicus

demicus addit Lemma: *A putredine tuta*: Duas qualitates in cedro invenire est, non putrefit, non corrumpitur, & in excelsis ac summis montibus invenitur. Cypressum describit S. Ambrosius in Psal. 118. *Genus hoc arborum nunquam amittit viriditatem suam, nec diverso colore mutatur, solam hanc arborem ventus nunquam suo honore dispoliat.* Cedrinum, cypressinum, à dilecto corpus B. Virginis dicitur: ac unà simul indicatur, sacratissimum hoc corpus virorem semper conservasse, in pulverem & cinerem non contabuisse, sed incorruptum ad altos celi montes in gloria esse assumptum, ita concludente Dionysio Carthus. *Per domos istas possunt intelligi corpus virgineum sanctæ Matris, & corpus salvificum Unigeniti ejus, siquidem caro Christi non vidit corruptionem, nec ambigitur, quod Filius ille omnipotens naturaliter bonus ac pius, amantissimam, ac fidelissimam Matrem suam, tam corpore, & animâ assumpsit ad gloriam.* Concludente pariformiter Sancto Bernardino Senens. Tom. 1. Serm. 52. art. 1. *Sicut non dedit Dominus fructum, id est, Christum videre corruptionem, sic & Sanctam suam, de qua natus est Sanctus, sed corpore, & animâ in calum est assumpta.*

CONCEPTUS VI.

Exodi 20. tradit Deus Moyfi formam, fabricandi Altare, super quod sibi victimæ & holocausta sint offerenda: *Altare de terrâ facietis mihi, quod si Altare lapideum feceris mihi, non edificabis illud de sectis lapidibus, si enim levaveris cultum super eo, polluetur.* Cur quæso Altare illud de lapidibus dolatis prohibuit ædificari? Certo decentius videtur, lapides poliri, antequam in Altari ponantur, quàm ex impolitibus construi. Nihilominus Majestas illa summè veneranda, Altare solum ex impolitibus ac indolatis lapidibus construi præcipit, cur hoc? Unam causam ex Rabbi Abraham adfert Cornelius: *Deus omninò lapides altaris levigari, aut poliri, & omninò attingi ferro vetuit, quia nefas erat eorum lapidum, qui ad rem tam sacram erant adhibendû,*

bendi, particulas scalpello abrasas in terram, aut sterquilinum decidere. S. Gregorius hic per victimam gratissimam Deo Patri, unigenitum Dei Filium intelligit, per Altare verò B. Virginem Mariam, in cuius visceribus carnem assumpsit, ac in sacrificium libavit. Si nunc cavebat Deus, ne particula ex lapidibus, de quibus exstruebatur Altare, abrase in terram caderent, ac pedibus conculcarentur, quia conjunctæ fuerunt lapidibus sacris; quanto magis Deus præcavebit, sacratissima ossa Virginis in terra non jacerent, sed Angelorum manibus in coelum viva transportarentur. Ita S. Germanus Serm. 2. de dormit. Deip. *Tuum virginale corpus omni ex parte sanctum, ereptum ad summam incorruptibilitatem vite, illesum, vivum, spirans, perpetud, imposterum indemne servatur, ut vas, quo Deus exceptus est.*

Honorando Mariam in coelos animâ & corpore assumptam *Epilogus.*
 imploremus, trahe nos post te, in odorem cur-
 remus unguentorum tuorum.

Amen.



(Z) 2

IN FESTO


 IN FESTO ASSUMPTIONIS
B. V. MARIÆ.

CONCIO SECUNDA.

Textus. Maria optimam partem elegit. Luca 10.

Thema. Super omnes creaturas Virgo MARIA exaltata est.

Exordium.

Scipio Bargalius Mariam Virginem ad cœlos assumptam, flammæ non ab similem dicit, addito Lemma te: *Summa petit.* Quia ut flamma non simpliciter ascendit, sed ad apicem usque, ad summitatem evolat; ita B. V. Maria in cœlesti curia, ad summos, maximos, ac præcipuos honorum, dignitatum, excellentiarum, & prærogativarum gradus in cœlos assumpta pervenit. Exprimere intendit hoc S. Mater Ecclesia hodiè canendo: *Exaltata est sancta DEI Genitrix ad cœlestia regna, assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio; Ipsamet sacratissima Virgo inquit: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Eccles. cap. 24. Et Psalmo 72. *Cum gloria suscepisti me.* Patres percipimus: *Gloria, qua eam de hoc mundo transeuntem exceperit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, Gloria DEI,* inquit Petrus Damianus Serm. 1. de Nativ. Conformiter S. Damascenus Orat. 1. de Nativ. B. V. *Ipsa namque Cherubinos superans, & supra Seraphinos evecta, propinqua DEO existit. O miraculum omnium miraculorum maximè novum! mulier Seraphinis sublimior effecta est. Nec in terris locus dignior, uteri virginis tempus*

SS. Patres.

Damianus.

S. Damascenus.

templo, in quo Filium DEI Maria suscepit, nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodiè Maria Filius sublimavit, ita scribit S. Bernardus Serm. I. de Assumpt. Undè exclamat Serm. 2. de Adventu: *O Virgo virgo sublimis, inquam, sublimem verticem caput Sanctorum erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad dominium Majestatis. Attende Seraphim, & in illius superioris nature supervola dignitatem, & videbis, quidquid majus est minus esse Virgine, solumque opificem, opus illud supergredi, iterum Petrus Damianus, ut supra.* Undè S. Bonaventura in speculo cap. 11. ait: *Maria super caput Sanctorum*

S. Bernardus

S. Bonaventura.

S. Germanus

Albertus Magnus.

Andreas Cretensis.

locata est; Et S. Germanus scribit apud Lipom. 21. Novemb. Tu es honor honorantium, præmiorum præmium, & altitudo altitudinum. Albertus Magnus super missus habet: Homines possunt pervenire ad Seraphim, nullus autem ad statum, & dignitatem B. Virginis. Maria, scribit S. Bonaventura Orat. I. de Nativ. B. V. Deus præparavit grandem gloriam in cælo, ut, sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in præmio, unde ipsa est thronus ille grandis, de quo dicitur: Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, thronus verò Salomonis est MARIA, grandis omninò in gratia, & gloria, ita ut nullus Angelus, nullus Sanctorum ei aquari possit, in multitudine & congregatione honorum cælestium, juxta illud Proverbiorum: Multa filia congregaverunt divitias, tu sola supergressa es universas, si filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid non supergressa est divitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, & Angelorum; cum ipsa sit primitiva Virginum, speculum Confessorum, Rosa Martyrum, Registrum Apostolorum, Oraculum Prophetarum, Regina Angelorum. O Virgo Regina omnis humane nature, qua habes non comparabilem cum aliis appellationem, excepto Deo tu es omnibus altior, perorat Andreas Cretensis. Orat. de dormit.

(Z) 3

dormit.

dormit. B. V. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ desuper Conceptus audiamus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Inter alias veteris Testamenti figuras, Mariæ in cœlum assumptæ gloriam, & exaltationem, ac excellentiam, vel maximè exprimit illa, quæ legitur 3. Regum cap. 2. quando mirum Rex sapientissimus Salomon Reginam matrem suam ad eò augustè collocavit; *surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, postquam est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* 3. Regum cap. 1. Christus, *ecce plus quàm Salomon hic*, hodiè obviam cum omni cœlesti curia processit Matri suæ, eamque in throno magnifico ad latus suum augustissimè collocavit, telle regio Psalte, Psal. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis:* & ipsa Virgine afferente: *Cum gloria suscepisti me.* Mellifluè S. Bernardus Serm. 1. de Assumpt. *Si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ preparavit DEUS diligentibus se, quid preparavit gignenti se, & quod certum est, præ omnibus diligenti?* Exaltationem aureis verbis deprecatur Virginis eximius cultor Arnoldus Carnot. Tract. 6. de laud. B. V. *A denominatione, vel potentia Filii Mater non potest esse sejuncta, una est Maria & Christi caro, unus spiritus, una caro, & ex quo dictum est ei, Dominus tecum inseparabiliter perseveravit promissum, & donum &c. Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem.* De tantæ Mariæ exaltatione expressius loquitur S. Bernardinus, cum Petro Damiano: *Sicut benedictus JESUS, verba sunt S. Bernardini tom. 3. Serm. 11. art. 11. sedet à dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis, sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui JESU juxta ipsum in throno sublimata est. Sublimis ista dies est,* scribit Damianus Serm. 1. de Nativ. &

Sole splendidior resurgens, in qua Virgo Regalis, ad thronum DEI Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam Angelicam sollicitat ad videndum. Hanc Virginis Excellentiam, & exaltationem S. Mater Ecclesia indicare vult, dum Evangelium de duabus sororibus Martha, & Maria legendum proponit.

CONCEPTUS II.

Hoc in Evangelio docente Salmerone Tom. II. Epist. 36. per Martham vita activa, per Mariam, vita contemplativa Virginis Matris indicatur: *Non tam pro statu Matris Dei, vel ob statum Virginitatis, quam ob altissimas actiones contemplationis figurata in Maria, & ob egregias functiones vite active significata in Martha*: verba sunt Salmeronis. Allegantur merita innocentiae & integritatis, quia Virgo intacta: allegantur merita servitiorum & charitatis, quia Mater est sollicita, & indefessa: allegatur spiritus perfectio, quia licet corpore in terris, spiritu & anima DEUM venerando, in caelis morabatur; insinuat, inquam, lecto Evangelio, Mariam per omnia, & in omnibus, tam actu, quam spiritu fuisse dotatam, ac perfectam, meritorum cumulo in duplo excelluisse. Dicit nunc Christus Joannis 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui in caelis est*, Mariam, quae corpore & spiritu, in duplo, in utroque homine, tam exacte, tam perfecte, tam cumulate SS. Trinitati inservivit, nimirum Patri promptissime obediendo, Filio fidelissime ancillando, S. Spiritui, eum exactissime amando. O quantis gloriae, excellentiae, potentiae, ac honorum titulis, donis, & gratiis SS. Trinitas eam cumulaverit? Guericus Abbas introducit Filium DEI, Matrem suam exaltantem. Serm. 1. de Assumpt. *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, nullus mihi plus ministravit, in humilitate mea, nulli etiam abundantius ministrare volo in gloria mea; communicasti mihi, quod*

quod homo sum, communicabo tibi, quod DEUS sum. O vere optimam partem elegit tibi Maria, quæ non auferetur ab eis in æternum.

CONCEPTUS III.

Materialia etiam illa instrumenta, ut domum, stabulum, sepulchrum, lignum &c. quæ humanitati Christi servitium aliquod præstiterunt, summè DEUS exaltavit. Domus Lauretana, in qua Verbum Caro factum est, quæ DEUM hominem suscepit hospitio, ô quantum est exaltata, domus domorum, & gratiarum DEI est. Stabulum illud Bethlemiticum, quod Filio DEI recenter nato servivit, ô quam factum est magnificum palatium! claritas DEI, ei lucet pro lampade, cœlestium Spirituum, & Angelorum multitudo, & pulchritudo præ auleis exornat, suavitas odore replet, trium Regum magnificentia, pavimentum, tapetum loco throni, JESU, Maria & Joseph gratia, illud nobilitat. Crux trium horarum spacio corpus JESU amplexatum est, & quanta in gloria super Regum coronas crux refulget? sepulchrum, ætiguò tempore mortuum pignus fovit, & usque nunc sepulchrum ejus est gloriosum. Desuper cum S. Leone inquit: *Si præsepe, in quo ad horam repositus est, ita exornavit, si Nazareth, ubi conceptus, & nutritus fuit, tantâ decoravit gloriâ, ut cernere licet in domo lauretanâ, si crucem, in qua quâ tribus tantum horis pependit, & sepulchrum, in quo ad tres dies mortuus jacuit, tantoperè sublimavit, quod ferendum de matre judicium; de matre, qua novem menses in utero suo cautissimè JESUM portavit, de matre, qua triennio tam liberaliter lactavit, de matre, qua tam amice educavit, de matre, qua 30. annis amorosè enutrivit, de matre, qua tam cordialiter patienti condoluit, de matre, qua etiam mortuum piissimè fovit. Certò DEUS eam omni gloriâ, omni honore decoravit, omni potentiâ locupletavit.* Audite.

Audiamus S. Bernardum in deprec. ad Virgin. *Tanta ante DEUM sanctitate fecundaris, ut sola solio Regis aeterni immediate approximare merueris. Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur super se mater, nisi solum Filium*, scribit Guericus Abbas Serm. de Assumpt. Conformiter Amadeus in quadam homilia de B. V. *Super omnes elevata, & in caelum, à caeli civibus honorificentissime, & ex more imperiali suscepta à Patre supremo in regno claritatis aeternae, & in throno excellentissimae gloriae, prima post Filium, quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere.*

CONCEPTUS IV.

Regius Psaltes ait Psalmo 64. *Benedices coronae anni benignitatis tuae.* Ubi quaeso hic annus benignitatis, & quae est corona ejus? Annus benignitatis est Sanctorum in caelo sibi conviventium felicitas, & prosperitas, ut vult S. Bonav. in spec. 11. Corona tantae serenitatis, & felicitatis Sanctorum est B. semper Virgo Maria, ut iterum subscribit citatus Sanctus: *Hujus autem anni benedicti corona est benedicta Virgo Maria, ipsa certò est corona omnium dierum hujus anni, quia ipsa est corona omnium dierum caeli.* Sed cur corona dicitur omnium felicitatum, & universae electae societatis? Utique ad Mariae sublimitatem indicandam: Ut sicuti corona capiti imposita, omnium supremum obtinet locum; sic B. Virgo, in beata, caelestis gloriae patria, ad instar pretiosae coronae summum, & altissimum inter omnes Sanctos locum obtinet, omnes Sanctos in gloria, in majestate, infra se constitutos conspicit. Ita concludente S. Bonaventura citato: *Corona enim super caput imponi solet, sic Maria super caput omnium Sanctorum locata est.* Indicare hoc ipsum videtur sacratissima Mater se cedro in Libano comparando.

CONCEPTUS V.

Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, inquit de se Maria Eccl. 24. Cur rectè sicut Cedrus, & cur in Libano? Sciendum venit, Cedrum altissimè crescere, & quasi super nubes eminere, Libanus mons, est montium princeps, & altissimus; Cedro propterea Academicus Epigraphen subscribit: *In summo summa*. Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, inquit de se Maria, in celo, inquam, supremo loco conspicua, inter summos Sanctos post Deum summa est, supremo loco inter omnes beatos posita, & collocata. Confirmat S. Bernardus Serm. 2. de Deip. *Fecunditas Virginis supereminens gloria est, tantòque excellentior Angelis facta munere singulari, quantò differentius præ ministris nomine Matris accepit. Mons quippè fuit, qua omnium electa creaturæ altitudinem, electionis sue dignitate transcendit*, inquit Gregorius Magnus in 1. Regum cap. 1. Jacobus Masenius Dillicho sequenti conceptum exprimit:

*Summa petit cultus, superat virtute Maria,
Illa subit nubes, grandior illa polos.*

Epilogus.

Hortor ergò omnes cum Angelo Lot monente: Genes. 19.
In montem saluum te fac, ne pereas.
Amen.



IN FESTO ASSUMPTIONIS
B.V. MARIÆ.

CONCIO TERTIA.

Dic, ut me adjuvet. Luca 10.

Textus.

Maria in cœlum est assumpta, ut magis
nos juvare valeat. *Thema.*

Albertus Magnus in Biblia Mariana lib. Esther cap. 5. *Exordium,*
verba, quæ olim Mardocheus ad Reginam Esther
dicebat c. 4. Mariæ in cœlum assumptæ applicat:
Ne putes, quod animam tuam tantum liberet, quo-
niam in domo Regis es, scilicet præ cunctis Judæis,
& quis noverit, utrum idcirco ad Regnum veneris? Verba Al-
berti sic sonant: *Ipsa est interventrix & advocatrix despera-*
torum, idè enim eam Dominus creavit in nativitate, & assum- *SS. Patres.*
psit in Matrem in incarnatione, & exaltavit super omnes Cho-
ros Angelorum in assumptione, ut pro peccatoribus intercedat,
Esther 4. In domo Regis es: Glossa; in interioris Regis sinu; præ *Albertus*
cunctis Judæis, imò præ omnibus Angelis, & omnibus Sanctis &c. *Magnus.*
& quis novit, utrum idcirco ad Regnum veneris; à Deo præordi-
nata, à Patriarchis figurata, à Prophetis prænunciata, à pecca-
toribus postulata, à tota Trinitate electa, & præelecta, ut in tali *S. Bonavent.*
tempore, iracundia Dei, tribulationis, & mœroris omnium filio-
rum Adam parareris; idè te Rex fecit Reginam, ut nobis in per-
secutione auxiliareris. Conformiter S. Bonav. in spec. lect. 5.
Esther nostra T. Maria tantam gratiam coram Rege æterno im-
(Aa) 2 petra-

petravit, quod per hanc non solum ipsa ad coronam pervenit, sed etiam generi humano morti addicto, subvenit. Et iterum in speculo c. 8. Magna erga miseros fuit misericordia Marie ad huc exulantis in mundo, sed multo major erga miseros in misericordia ejus jam regnantis in celo; majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabiles hominum miseras. Consolacissime scribit S. Amadeus hom. 7. de B. V. Exinde charitate inenarrabili condescendens, & illos misericordissimos oculos, quibus caelum illustratur, ad nos convertens, communem pro Clero, pro populo, & utroque sexu, pro vivis, atque defunctis levat orationem.

S. Amadeus. Adest hac de celo gloriosissima, & prepotentissima, propellens omne, quod nocivum, & conferens omne, quod bonum est, cunctis ex corde rogantibus se munimen presentis vita, tribuit, & futura.

Richardus a S. Laur. Maria, inquit Richardus a S. Laurentio lib. 4. de laud. Virg. vera est, & unica Filii imitatrix, ex quo ascendit in altum, dabit & ipsa dona hominibus, siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. S. Bernardus ad Virginem in coelum assumptam conversus, concionatur Serm. 4. de assumpt. Ecce quibus possumus vocibus ascendentem te ad Filium deducimus, & prosequimur tantum a longe

S. Bernardus. Virgo benedicta, sit pietatis tue, ipsam quam apud Deum gratiam invenisti notam facere mundo: reis veniam, medellam agris, pusillis corde robur, afflictiis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem, sanctis tuis precibus obtinendo. Ecclesia Mater orat in Vigilia ascens. in oratione secreta: Quam idcirco de presenti seculo transtulisti Dominus, ut apud te pro peccatis nostris fiducialiter intercedat.

Guilielmus. Guilielmus in cap. 4. Canticorum scribit: Continet sibi abyssos vita, & immortalium gaudiorum, sed non ita continet sibi, ut non effundat & aliis. De ejus gloria post Filium participant

S. Bernardus. universi, docet S. Bernardinus Senensis Serm. de Excell. B. V. art.

art. 2. cap. 3. Finio Exordium cum Andrea Cretense orat. 2.
Quam diu ò Virgo versaberis in terrâ, te habuit parva terra *Andreas*
portio, ex quo autem translata es à terrâ, te universus mundus *Cretensis.*
continet commune propitiatorium. S. Spiritûs gratiâ invocatâ
 Conceptus audire libeat.

CONCEPTUS I.

Joannes in Apocalypsi cap. 12. Mariam in cœlos assumptam describit: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Cur his Planetis exornatam Virginem describit? Notum est has Planetas in sublunaria, ac terrestres creaturas quandam maternæ benignitatis, inclinationem, & affectum habere: sic sol omnes fovet creaturas: *Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Luna in inferiora humilitate sua & refrigerio clementer influit, stellæ pariter corporibus terrestribus se affectuosas exhibent: quo altior nunc sol in cœlo residet, eò intensius calore suo, ac lumine, terram ditat; subseribit Academicus: *Quò altior, eò intensior*: B. V. Mariam Joannes indutam sole describit, indicans maternam Virginis benignitatem, quâ undique, & ex toto, uti pallio circumdata est, & sicut sol, *quò altior, eò intensior*: sic B. Virgo quò altior in cœlo, gloria & potentia sublimata est, eò intensior benignitatis suæ ac gratiarum thesauros nobis elargitur, & communicat. P. Ludovicus Cerchiarus pulchro Disticho veritatem expressit:

Fidite mortales, irati flammea cœli
Sidera mitescunt, Æthera Virgo subit.

Luna in inferiora humiditate suâ & refrigerio clementer influit, copiosior autem influit, quò magis est plena, Academicus symboli loco Epigraphen præfert: *Operosior, quo splendor.*
 (A a) 3

didior. Lunam ergò sub pedibus Mariæ vidit Joannes, indicium; quàm libenter & clementer suo refrigerio, & solamine influat, præsto sit, ad nos recreandos, adjuvandos. Sic Albertus Magnus lib. 1. tract. 2. c. 4. *Luna vocatur Regina celi, quia regit humiditates corporum inferiorum.* Et licet luna effectum suum magis præstat, quò magis est plena, operatur quò splendidior. Sic Maria tantò copiosiore influxu in animas sibi devotas effunditur, quò sublimius gloria cælestis fastigium conscendit. Confirmant Conceptum Guilielmus in cap. 4. Cantic. & Andreas Cretensis orat. 2. *Continet sibi abyssos vitæ, & immortalium gaudiorum, sed non ita continet sibi, ut non effundat & aliis.* Ita Guilielmus. *Ex quo translata es à terrâ, Te universus mundus continet commune propitiatorium.* Ita Andreas Cretens. Stellæ pariter corporibus terrestribus se affectuosas exhibent, & observant Astrologi, stella una mota continuò moventur & aliæ; Academicus subscribit: *Ut motam moveor:* Deiparam in cælis assumptam stellis coronatam, inquit Joannes, quæ è terrâ in superum regiam mota, DEUM, Sanctosque omnes in nostra vota movet; Ecclesia affirmante: *Quam idcirco de presenti saculo transtulisti, ut apud Te pro peccatis nostris fiducialiter intercedat. Omnibus se exorabilem præbet, omnium necessitatibus amplissimo quodam miseretur affectu.* Scribit S. Bernardus Serm. de Verbis Apostoli,

CONCEPTUS II.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capra, de dilecta anima, quæ Maria est, S. Spiritus affirmat Cantic. 4. Cur capra comparat? Duo in capra deprædicanda observantur; à natura capra acutissimo est visu dives, ut ergò latius circacircum videre,

dere, pericula imminetia conspiciere valeat, saxa altissima scandit: Secundò, capræ lac sanissimum esse noscimus, ut lacte sanissimo magis abundet; præruptos scopulos ascendit, nobilissimis herbis, & radicibus ubera sua, & fontem lactis replet; quo soboles parva in valle relicta sustentetur. Saxa scandit, ut acuto suo visu, tenerum filium, vel capram filiam, à periculis tueatur. Ubra semper symbolum fuerunt clementiæ, affectûs, & teneri amoris, & signant clementiam, affectum, & amorem Virginis Mariæ erga nos homines; ita Richardus à S. Victore in cap. 4. Cantic. *Duo ubera sicut hinnuli capra adeò pietate replentur, ut alicujus miseria notitia tacta, lac fundant misericordiam, nec possis miseras scire, & non subvenire.* Consolatè Dionysius Carthus. in caput 2. *Etsi illorum corporali inopia condoleat, & succurrebat etiam non rogata, quanto magis nostra spiritali indigentia compatiatur auxiliumque præbebit, si fuerit fideliter invocata.* Altitudinem ergò cælorum ascendit hodiè B. V. Maria, quò melius nunc videt nostras calamitates, eò indulgentius provideat. Inquit S. Bonav. in spec. cap. 8. Pericula, & noxia quæque à nobis depellat, & avertat. Altitudinem cælorum petiit, ut dislenta misericordiæ ubera affluentius porrigat, ut nos uberiore lacte gratiæ alat, & sustentet.

CONCEPTUS III.

Leo Sextus Imperator dictus Sapiens, hom. 6. de assumpt. Virg. ita de Maria in cælum ascendente scribit: *De terra ad cælos transvecta scala facta est mortalibus, quâ ad cælos scandunt.* Cur non potius ei titulum viæ lactæ attribuit, quæ nos ad Paradisum ducit? vel cur non vocat eam portam paradisi, vel alio nobiliori epitheto condecorat, cur scalam dicit? Notandum, quod scala, etsi una extremitate cælum tangat, uti

teti-

tetigit scala Jacob, alia nihilominus parte tangit terram, & locum illum cui innitur; quod igitur Virgo in cœlum assumpta scala, & quidem ut Andreas Cretensis scribit: Scala Jacob dicitur, per hoc nobis insinuat, quod etsi Maria de terra in cœlos assumpta fuerit, uno tamen pede etiamnum terram contingat, id est, nostris necessitatibus succurrit, & prospiciat, ita citatus Leo cap. 7. de dolor. Deiparæ. *Moratur, in his etiam terris, & circuit, & magis jam ubique adest animatum illud cœlum, omnium similiter curam gerens.* Eleganter Albertus Magnus in Bibl. Mariana Genes. Num. 24. *Ipsa est scala ascensionis de culpa ad gratiam, de mundo ad cœlum, Genes. 28. vidit Jacob in somnis scalam, id est Mariam; per eam enim descendit Filius Dei, & nos per eam ad illum. Stantem super terram; licet sedeat in throno, ad proficiendum tamen peccatoribus vicina est.*

CONCEPTUS IV.

Regius Psalmista David Reginam Virginem in cœlos assumptam, & ad thronum SS. Trinitatis elevatam, non sedere, sed stare dicit: *Astitit Regina à dextris tuis.* Ps. 44. In tanta gloria, excellentiâ, & majestate Maria utique sedebit in throno? Stare eam dicit David, cur quæso in cœlis stat? Respondet Hugo de S. Victore lib. 4. de laudibus Virg. *Virgo ad dexteram Filii sui stare perhibetur, ad insinuandum nobis patrocinium, & protectionem, quam de nobis coram Supremo tribunali Filius sui in cœlo habet, bene astitit à dextris tuis, tanquam nostrorum peccatorum patrocinatrix gladium evaginandum peccati impedit.* Conformiter Bernardus Serm. 4. de assumpt. *Advocata premisit peregrinatio nostra, qua tanquam Judicis mater, & mater misericordie, suppliciter, & efficaciter salutis nostra negotia pertractabit.*

CON-

CONCEPTUS V.

De illo perenni Paradisi fonte inquit sacer textus, Genes. cap. 1. *Fons ascendebat è terrâ, irrigans universam superficiem terrâ.* Cur ascendebat? Aquæ contra naturam est, ascendere, aqua, ac fons, prata irrigans, naturaliter descendit, per declives traduces deorsum labitur, fluit ubi descensum invenit, ubi ascensus, mons, vel collis obstitit, sistitur & aqua, retrocedit: cûr igitur fons ad irrigandum ascendens perhibetur? Respondet Abulensis: *Fons & aqua ascendens de terrâ irrigabat loco pluvia;* Aqua in terrâ serpens, non omnia adquare valet, sed tantum hunc vel illum locum, ubi pertransit; at aqua sursum tracta, omnia irrigat, & humectat. Aqua sursum tracta communicat guttas suas tam montibus, quam vallibus, tam hortis excultis, quam horridis desertis, tam rosis olentibus, quam urticis fœrentibus. Mariam fontem SS. Patres intulunt, ascendit hic fons in ascensione suâ è terrâ in cœlum, ut super omnes, grandi pluviam, pietatis munera stillat, aquis, & pluviis gratiarum, ac donorum, omnes tam bonos, quam malos, tam altos, quam humiles fœcundet, & madefaciat. Audiatur Albertus Magnus in Bibl. Mariana lib. Genes. *Fons, id est, MARIA ascendit in assumptione de terrâ miseria, & tenebrarum, irrigans gratiam, veniam, gloriam, universam superficiem terrâ.* Hinc capio verba Virginis apud Eccles. c. 24. afferentis, in columna nubis se commorari.

CONCEPTUS VI.

Ego in Altissimis habito, & thronus meus in columna nubis. Thronum suum, columnam, & nubem dicit; cur columnam, cur nubem? Legere libeat libri Exodi cap. 14. exinde intelligere est, quæ mirabilia Deus filiis Israel per columnam, & ignem præstitit: *Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem,*
 Pars II. (Bb) *ita*

ita, ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Columna nubis erat tenebrosa, & illuminans, quomodo hoc? Explicat Tirinus ex Tostato, & Pererio: *Posita erat nubes media in Hebræos & Ægyptios insequentes, ex parte sui posteriori, quâ respiciebat Ægyptios, densior, & latior erat, atque ideo tenebrosa, præpediens, & aspectum ipsis, & accessum ad Hebræos; anteriore verò parte lucida erat, & flammea, radios sua luce emittens ultra omnia castra usque ad primam Hebræorum aciem, & hoc modo illis viam per mare demonstrans.* Columnæ illius beneficio ab innumeris periculis præservabantur Judæi, post ipsos fuit nubes densa, & umbrosa, quo minus ab Ægyptiis viderentur, sicque tuti, ac securi quiescerent. Ante Hebræos fuit flamma & ignis, viam, ac semitam in patriam electam eis demonstrans. Hinc Maria thronum suum columnam nubis dicit, ad indicandum: In cœlis, in gloria sua, & potentiâ, ac majestate, columnam nubis Hebræos comitantem erga nos homines imitari, unice huic studio incumbere, ut noxia quæque, & talia à Christicolis avertat, eos fovendo, ac protegendo, viamque in beatitudinem, suâ apud Deum pro nobis intercessione, demonstrando, ac impetrando. Audiatur S. Bonaventura in speculo lect. 3. *Considera, quod Maria est illuminatrix per beneficia lucidissima misericordie sue, per quam multi in nocte hujus sæculi illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoque pater Israel per columnam ignis illuminati sunt corporaliter, juxta illud Psalmi: Deduxit eos in nube. Maria est nobis columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab aestu divine indignationis, protegit etiam ab aestu diabolica tentationis, sicut iterum dicitur in Psalmo: Expandit nubem; Maria quoque columna ignis est, illuminans nos, imò illuminans mundum multis misericordie sue beneficiis; quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte hujus sæculi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus.* Conformiter Bernardinus Serm. de Assumpt. B. V. art. 1. cap. 3. *De hac columna nubis legitur, quod populum deducebat, defendebat, sequen-*
basur,

batur, aliquando superferebatur, ut mysticè patrocina multiplici-
cia B. V. indicarentur erga populum electorum, & omnium Chri-
stianorum.

Clamemus ergò ad B. Virginem in cœlos assumptam cum *Epilogus.*
S. Bernardo Serm. 4. de assumpt. *Virgo benedicta sit pietatis tuæ,*
ipsam, quam apud Dei gratiam invenisti, notam facere mundo;
reis veniam, periclitantibus adiutorium, & liberationem san-
ctis tuis precibus obtinendo. Trahe me post te, sicut enim ne-
nemo venit ad tuum Filium, nisi Pater traxerit eum, sic etiam
quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum
gloriosissimum, nisi tuis sanctis subsidiis traxeris eum. Trahe
me igitur torpentem, ut me reddas currentem, trahere me pec-
cantem, ut me reddas penitentem, trahere me ignorantem, ut
me reddas scientem, ut curram in odorem unguentorum
tuorum, id est, in fragrantia sancta.
rum virtutum tuarum.
Amen.



(Bb) 2

IN FESTO

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

CONCIO PRIMA.

Textus. Ascendit in montem orare. Lucae cap. 6.

Thema. Solitudo, exquisitissima est ad cœlum via.

Exordium. **S**apis tantò majore impetu, è funda recta sursum volat, quantò è vibrante manu fuerit remotior: Academicus inscribit Lemma: *Quo remotior, volat altior*: sic quo remotior, solus, abstractus à circumagente mundo quis vixerit, eò scandit altius, & rectius ad superna, ad divina: teste Joanne Cassiano lib. 8. de instit. monastica: *Solitudo novit emendatis moribus contemplationem purissimam referare, & intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare.* Ita ad animam salvaturam inquit Deus, *Osce 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Ad Salvandos inquit S. Paulus: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* ad Coloss. cap. 3. Hinc Patres magis elogiis solitudinem, recessum animi, deprædicârunt. S. Gregorius Naz. Orat. 41. solitudinem vocat, *animi medicinam*: S. Paulinus ep. 29. *cœlestem officinam*; S. Leo Serm. 8. de jejunio: *Aulam mentis*; S. Basilius: *Aulam sanctam, in quâ Deus habitat. Si vis corde tenus compungi, intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, sicut scriptum est, in cubilibus vestris compingimini: in cellâ invenies, quod desoris sæpè amittis.* Docet Thomas Kempensis de Imit. lib. 1. cap. 20. *Si vis animam tuam in sua virginitatis integritate consistere, secretum appetere,*

recessum singularitatis inquire, cunctis domus tua foribus, cunctis videlicet sensibus censoria disciplina repagula, ne quis ingrediatur appone: fons enim, qui circumquaque, ne effundatur, occluditur, undis ad alta profluentibus elevatur. Scribit S. Damianus opusc. 12. c. 20. Ubi concava vallium, aspera montium, prarupta rupium cernebamus, ibi mea orationis locus, & ut ipse mihi testis est Deus, post multas lachrymas, post caelo inherentes oculos nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & letus, gaudensque cantabam: post te in odorem unguentorum tuorum curremus, qui ergo Deo & Angelis frui cupit, dicat: elongavi fugiens, & mansi in solitudine. O desertum floribus Christi verzans! O solitudo, in qua nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas Regis magni exstruitur. Ita S. Hieronymus Ep. ad Heliodorum. Solitaria vita caelestis doctrina schola est, & divinarum artium disciplina, illic namque Deus est, totumque quod discitur. Docet S. Basiliius de laud. vitae solitariae. Cella, terra sancta, & locus sanctus est; inquit S. Bernardus Ep. ad fratres de monit. Dei de solitud. in qua Dominus & servus ejus colloquuntur, sicut vir ad amicum suum, in qua crebro fidelis anima verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur. Unum pro certo scio, scribit S. Petrus Damianus opul. 11. cap. 19. O vita benedicta, quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus habitator est Deus. Solus intellectus purus & simplex incedens, rapido volatu ad ipsum pervenit conditorem Angelorum, & animarum, & omnium rerum. Concionatur S. Augustinus lib. medit. c. 27. Et iterum tract. 17. in Joannem: Solitudo quadam necessaria est menti nostra, quoddam solitudine intentionis, videtur DEUS, turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat. Qui internam quietem diligunt, ipsi de invisibilibus bonis mira cognoscunt, & quanto se a temporalibus amplius elongant, tanto magis aeternis appropinquant.

(Bb) 3

Optimè

Optimè Ovidius: *Benè qui latuit, benè vixit.* Imploratâ S. Spiritûs gratiâ, Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Sacratissima Virgo Maria à Gabriele Archangelo salutatur his gratiosissimis verbis: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Lucæ 1. Duo indicat Dei Legatus: Primò Mariam omnibus cœli donis & divitiis dotatam esse, & abundare exaltatam; Secundo penes delicias, & gaudiis frui inenarrabilibus, quoniam Dominus cum illa: quâ virtute meruit Virgo Maria, adeò gratiâ repleti, adeò exaltari? dicit ipsamet: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Humilitas exaltavit, humilitas adeò gratiâ replevit. Sed quæ illa meritoria virtus, quâ Dominum sibi devinxit individuum sponsum, ac comitem? *Dominus tecum.* Devinxit virtute solitudinis: *Sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenerare depravaretur afflatu, ab Angelo salutatur.* Scribit S. Ambrosius lib. 2. in Lucam. *Duo dixit Angelus, scribit Hugo in Lucam; gratiâ plena, Dominus tecum; primum meruit humilitas, solitudo meruit secundum, habere Dominum. Fit igitur gratia plena propter humilitatem, Dominus tecum propter solitudinem. Vita ergò solitaria B.V. quam clauso ostio Angelus orantem invenit, ut docet S. Bernardus hom. 3. meruit, (inquit Abbas Franconius lib. 6. de gratiâ) ut singulari prerogativa viscera sua sanctificaret, & ut in carne suâ humanam sibi naturam associaret. Solitariè viventibus vel maximè se Deus conjungit, gratias, & dona, ac cœlestes delicias communicat prælibandas. Testem produco animam dilectam. Cantic. 3.*

CONCEPTUS II.

Inveni, inquit dilecta anima, quem diligit anima mea: Angelorum chori, & hanc felicissimam deprædicant; delicias affluens,

fluens, *innixa super dilectum suum*. Cantic. 8. Congratulor tibi fidelis anima, quæ aliquando amarè flevisi; ast dicito nobis, quo in loco invenisti dilectum tuum? quo medio delicias impertrasti? Optimè recordor te lamentantem Cantic. 3. *Quæsi il- lum, & non inveni*; & tandem fateris: *Inveni, quem diligit ani- ma mea*. Quis hic infelix locus, in quo dilectum invenire ne- quivisti? quis fortunatus ille situs, in quo, quem dolenter quæ- sivisti, hilariter invenisti? recordor te quàm dolorosè flentem, & ingemiscentem, Cantic. 7. *Percusserunt me, & vulnerave- runt me, tulerunt pallium meum*. Nunc ô felix hora! flagra & vulnera, versa sunt tibi in delicias, & oscula; *deliciis affluens*: dic nobis, quo in loco cæsa lamentaris, quo in loco deliciis affluens, lætaris, & jucundaris? Respondet fidelis anima, & digito mon- strat locum, in quo dilectum nequit invenire: *Per vicus, & pla- teas quæsi eum, & non inveni*: in foro, in plateis, ubi pro- phanæ hominum sæcularium curæ tumultuari solent, mundanis, terrestribus negotiis implicata, sponsum, dilectum animæ suæ, non invenit. Desuper eleganter S. Ambrosius lib. de Virginitate: *Non in foro Christus reperitur, non est enim Christus circumso- raneus, Christus enim est pax, in foro lites; Christus justitia est, in foro iniquitas; Christus operator est, in foro inane otium; Christus charitas est, in foro obtrectatio; Christus fides est, in so- ro fraus, atque perfidia*. Cum paululum pertransiissem, de mundanis his curis, ac negotiis, inquam, ad solitudinem, ad vi- tam solitariam, abstractam me convertissem, ecce, *inveni, quem diligit anima mea*. Sponsus in foro, in plateis quæren- tem fugit, recedenti in solitudinem, amplexandum se præbuit. Desuper Philo lib. de Abraham: *Natura enim comparatum est, ut qui Deum invenire cupiunt, amicam ei solitudinem querant*. Indicat pariter locum sponsa, in qua cæsa lamentabatur; *inve- nerunt me custodes, qui custodiunt civitatem, percusserunt me*. &c. In civitate, inter populorum frequentiam ejus ruina; in so- litudine verò ejus factus est ascensus, in solitudine præparatur ei cœlestium deliciarum prægustus: *Quæ est ista, quæ ascendit*
de de-

de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum. E solitudine anima deliciis affluens, ascendit, quæ in civitate nuda, quæ inter homines tegens vulnerata, ex confragoso desertoque loco deliciis ascendit plena. Exindè noveris, quam inter homines convictus virtuti nocere solet, & quam interit recessus, & vitæ solitudo: *In deserto nitent virtutes, adstat gratiosus Deus.* Concludit S. Antonius Paduanus Dom. 4. Adventus.

CONCEPTUS III.

Isaias cap. 6. dicit, se Seraphim vidisse, stare & volare. *Stabant super illud,* (super Dei solium inquam) & *volabant.* Si stabant, quomodo volabant? Si volabant, quomodo stabant? Quid per stare & volare hic intelligendum? Per stare S. Eucherius vitam solitariam intelligit, ubi, inquam, anima unice in colendo, & amando Deo consistit, à terrenis, & sæcularibus curis in totum abstracta, & recedens, soli Deo vacat, societates & conversationes vitat, solitaria domi meditando, legendo, orando latitat, talis solitaria anima, *stat & volat,* in silentio & quiete consistens, ad altissimam Dei contemplationem rapitur, ad prægustum deliciarum cæli advolat: *Deo adstare, idem est quod volare, festinas ad Deum, sede in quiete, & silentio orationis, elevaberis, & ad Deum Deorum in Sion evolabis.* Concludit citatus Eucherius quæst. veteris Testam. cap. in Isaiam.

CONCEPTUS IV.

Ex Hebræo, Virgo, idem quod abscondita interpretatur: Ita Genes. 24. ubi legit latina versio: *Rebecca Virgo pulcherrima,* Hebræus legit: *Alma, abscondita;* sic etiam Isaiæ cap. 7. pro *U, Virgo concipiet:* Hebræus legit: *Alma, abscondita:* Cur rectè Virgo abscondita interpretatur: an fors solitudo, vita abscondita, animas nostras, charas Dei sponsas efficit, intactas à peccatis Virgines conservat? Hoc indicare vult S. Hieronymus Ep. 22. ad Eu-

ad Eustochium, quam hisce verbis paternè hortatur: *Semper te cubiculi tui secreta custodiant, audies à sponso, hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus. Quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed eius habitator est Deus.* De vita solitaria scribit Petrus Damianus opusc. 11. cap. 19. *In seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit quidquam rerum humanarum attingens, atque secum ipse, & cum Deo colloquens superiorem iis rebus, que in aspectum cadunt, vitam agit, divinas species, puras semper, nec terrenis ullis, & errantibus formis admixtas in seipso circumfert, Deique ac rerum divinarum parvum omnino speculum est, indiesque efficitur, ut lucem per lucem assumat, clariorem videlicet, per obscuriorem, jamque futuri ævi honum, spe percipit, ac cum Angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque in spiritu sursum collocatur.* Ita perorat S. Gregorius Nazianz. orat. 1.

CONCEPTUS V.

In veteri lege, ut liber Exodi narrat, apparuit Deus Moyfi, & Ducem populi Israelitici in terram electam constituit: *Educas populum meum filios Israel de Ægypto: Exodi 3.* Quis est iste Moyfès, ubi, & in qua forma apparet ei Dominus? per qualem viam jubetur populum in terram electam deducere? *Quis* Moyfès fuerit, indicat citatus liber, & caput 3. Nempè fuit Pastor ovium, *Moyfès autem pascebat oves Fetro soceri sui.* Apparet illi Dominus, *ad montem Dei Oreb, in flamma ignis de medio rubi.* Viam ordinat Deus, non floridos campos, sed asperos, & horridos Arabiæ infelicis scopulos; ad opus adeò eximium, ad educationem populi in terram electam, cur providissimus Deus non potentem Regem, sed pastorem inermem, ineruditum, blemum, & balbutientem, mediâ ex parte hominem mutum eligit? cur Majestas divina in flamma ignis, in spinoso rubo residens

Pars II.

(C c)

appa-

apparuit? cur inscrutabilis bonitas non compendiosam, jucundam, suavem, & facilem semitam, sed saxa, & scopulos, viam asperam, in terram electam ordinat? Ad quæstiones respondeo: Pastor nonnè quasi semper, & omni tempore solitudinem colit, & inhabitat, Pastorem eligit Deus in Ducem populi ad terram promissam; discamus: solitudo, vita abstracta, recessus è mundi hujus tumultibus, optimus Dux est ad Patriam electam æternæ beatitudinis. *O desertum*, exclamat S. Hieronymus Ep. ad Heliodorum, *floribus Christi vernans, ô solitudo! in quâ nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi, Civitas Regis magni exstruuntur.* In flamma ignis, & in rubo apparuit Deus; in flamma observabitur, ut S. Anastasius Synaita docet, quod de terrâ quasi semper avolet, loca superiora appetat, & sequatur; mentem asceticam, abstractam de mundi vanitatibus, ac solitudinem inciens, designat. Rubus spinosa sola tegit, rubum spinosam teret, & homines fugiunt, intactam relinquunt, solitudinis verum exemplar; in flamma ignis, & in medio rubi apparet Dominus, indicium: solitariè degentibus, abstractis à mundi tumultibus, præsto est Deus, in eorum cordibus suaviter inhabitat, & moratur suis copiosissimis donis, ac gratiis. Audi S. Augustinum, tract. 17. in Joannem: *Solitudo quadam necessaria est menti nostræ, quâdam solitudine intentionis videtur Deus.* Optimè Oleaster in Exodum: *Audis hic quibus hominibus, & in quibus locis, Deus secreta sua revelet, nempe deserta loca incolentibus.* Non ergò floridam semitam, sed rupibus & saxis desertam, ac asperam Arabiæ viam, Deus iter in terram electam ordinat, documento nobis: solitudine, vitâ abstractâ à mundi tumultibus, & vanitatibus, tutissimam viam ad cœlestem patriam patere. Confirmat iterum S. Augustinus lib. medit. cap. 27. *Qui internam quietem diligunt, ipsi de invisibilibus bonis mira cognoscunt, & quanto se à temporalibus elongant, tanto magis æternis appropiant.*

CONCEPTUS VI.

David consentiens in certamen & conflictum cum gigante illo Goliath, in castris, ut militem decet, cum Rege Saul non permanlit, sed ad desertum pascendis ovibus reversus est: exindè iteratò in conflictum descendit: *Abiit David, & reversus est à Saul, ut pasceret gregem Patris sui in Bethlehem. 1. Regum 17.* & iterum: *Surrexit itaque David mane, & commendavit gregem custodi, & onustus abiit, sicut praeceperat ei Isai.* Hæc notare libeat. Transeamus nunc ad librum 2. Regum cap. 10. hic legentis, Regem Hanon, Legatos Davidis etiamnum Regis, turpiter despexisse, vestes eorum, & barbas dimidiâ parte præscindendo: *Tulit itaque Hanon servos David, rasiq; dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos.* David hæc inaudiens: *misit in occursum eorum, erant enim viri confusi turpiter valdè, & mandavit eis David: manete in Jericho, donec crescat barba vestra.* Cur quæso conflictum initurus cum Goliath, in castris generosus miles non perseveravit David, sed ad pascua ovium revertitur? Deinde, cur Legatos suos in Jericho remanere imperat? Ad utramque quæstionem respondeo: Oves in desertis, pratis ac agris, in solitudine pascuntur, ad desertum, ad solitudinem igitur descendit David pastorem agens, exindè robur maximum, ac victoriam contra inimicum, sibi summam felicitatem, regnum & sceptrum auspicatoris: sic asserente Basilio Seleu. orat. 15. *Tales animas (solitudinem nempe excolentium) legere novit gratia, quare & gregis cura discentum, vocavit ad regnum.* Discamus ex hinc, quantum conducat, animum in solitudine cœlestibus præmunire, ut valeamus de hostibus truculentissimis; mundo, carne, & Dæmone triumphum reportare: discamus ad obtinendum regnum cœleste, vel maximè conducere solitudinem, vitare hominum consortium, sibi soli pietatibus vacare. Legatos suos in Jericho, David expectare jubet, inibi indubiè ornamentum corporis prædicens: *Donec crescat barba vestra.*

(Cc) 2

Jericho,

*Fericho, inquit Abulens. quæst. 5. erat hinc depopulata & c. & ibi poterant manere isti, quasi solitarii, quoadusque cresceret barba eorum. In Jericho, in solitudine manere jubet legatos, ornamentum corporis prædicens: quia crescet eis barba; ad intantum meum accommodè loquitur Eucherius apud glossam: *His necesse est, sedeant in Jericho, donec crescat barba, id est, donec incrementa virtutum in eis nascantur*: Solitudo ergò dat viros, solitudo aptos & dignos facit viros, qui cœlesti David, Christo Jesu in regno cœlorum adsint, & se præsentent.*

CONCEPTUS VII.

Aquila avis, summis prærogativis ab auctore mundi donata est, Aquilæ seipsum Deus maximus comparare dignatur, Deut. 32. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit atque portavit eum in humeris suis*; inter animalia illa Ezechielis cap. 1. Aquila primatum tenet, & facies Aquila desuper ipsorum quatuor. Unde erga Aquilam tam liberalis est Deus? Job causalem dicit cap. 39. *Elevabitur Aquila, in arduis ponet nidum suum, in petris manet præruptis & silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus*: solitudo vitæ, tam copiosis prærogativis Aquilam cumulavit: opportunè S. Gregorius lib. 11. moral. cap. 19. *Ad præceptum Dei elevatur Aquila, dum visionibus divinis obtemperans in supernis suspenditur, fidelium vitæque & in arduis nidum ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens, spe jam de cœlestibus nutritur*. Quàm benè ad propositum S. Augustinus lib. med. c. 27. *Qui internam quietem diligunt, ipsi de invisibilibus bonis mira cognoscunt, & quantò se à temporalibus amplius elongant, tantò magis aternis appropinquant*. Testis chara Sponsa Cantic. cap. 4.

CONCEPTUS VIII.

Sponsus dilectam sibi animam foecundam dicit, ut gregem caprarum: *Capilli tui sicut greges caprarum, qua ascenderunt de monte Galaad, dentes tui sicut greges tonsarum, qua ascenderunt de lavacro, omnes gemellis factibus, & sterilis non est inter eas.* Cur foecundam ut capram dicit? Capra montes & colles, avia & deserta petit, recessus quaerit, & hic invenit pascua optima, adeo conducentia, ut iterato concipiat, gemellos feliciter pariat. Capras solitudines amantes describit ornatè S. Ambros. in collectis: *Spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, ubi luporum incursus esse non possunt, ubi foecunda arbores fructum integrum subministrant; cernere licet uberi lacte distentas super teneram sobolem maternà pietate sollicitas.* Quae nunc anima fidelis, capram imitata, solitudinem quaesiverit, recesserit à mundi strepitu, & rerum vanarum cura, sola, soli Deo intenta, inveniet pascua Spiritus ter optima, geminos pariet fructus, jucunditatem animi, & consolationem hic in terris, & ibi laetitiae & gaudii coelestis dulcedinem, & abundantiam.

Hortor ergo cum S. Chrysostomo: *Evolve te ipsum ab occasionibus, & in secretum ab hominum consuetudine recipe locum, si vis virtutem contueri.* *Epitogus*

Amen.



(Cc) 3

IN FESTO



IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. Ascendit in montem orare. Lucae cap. 6.

Thema. Ut actiones nostræ prosperæ sint, cum oratione incipiant, & cum prece finiantur.

Exordium.



Cravius Boldonus, fonti per montis vertices deorsum præcipitato subscripsit: *Perpetuo sonitu.* Fons gratiarum est oratio, actiones & opera nostra in caelebrosæ, ac miseræ hujus vitæ decursu; *perpetuo sonitu,* inquam, oratione incipiant, & prece finiantur,

ut prosperum fortiantur intentum: Exemplum dedit S. Bartholomæus, qui centies de die, tot vicibus noctu ad preces genua flexit, & oravit. Hortatur idipsum sacer textus: *Non impediantur*

Textus Sacre Scripturae.

orare semper: Eccles. cap. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere;* hortatur S. Lucas c. 18. Et S. Paulus 1. ad Theff. cap. 5. *Sine intermissione orate.* Et ad Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in eâ, in gratiarum actione.* Tobie filio præcepit cap. 4. *Omni tempore benedic Deum, & pete a eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permane-*

SS. Patres.

ant. Patres audiamus: *In omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato semper inveniemus sanctos, principiter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius, quæ petebant, consecuturos.* Scribit S. Bonav. de perfect. Rel. lib. 2. cap. 68. *Orationis virtus hominem illuminat, nam & oratione melius solvuntur dubia, quàm inquisitione alia, citiusque panduntur*

S. Bonavent.

dantur secreta precibus, quàm studio. Docet S. Laurentius Justinianus de orat. c. 2. *Ubi assiduis orationibus pulsatur cœlum, potentia semper calcatur armorum.* Inquit S. Augustinus Serm. 28. de temp. *Hoc est remedium ejus, qui vitiorum incitamentis afluat, ut, quoties quolibet vitio tangitur, toties ad orationem fugiat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit:* docet S. Basilius lib. 3. sentent. *Oratio sit sine cessatione, oratio sit frequens, oratio de ore tuo non cadat, insiste orationi, surge in nocte ad precem, pernocta in oratione, rursum ora,* hortatur S. Bernardus cap. 49. Et S. Gregorius in Psal. 129. *Esto sedulus in oratione, esto in precibus importunus, esto raptor, esto violentus, ut vim etiam inferas cœlis.* Coronidem imponit S. Hieronymus ep. 12. ad Eustochium: *Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur à mensa, nisi referantur creatori gratiæ &c. egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quàm animam pascat.* Divinâ gratiâ invocata audiantur Conceptus.

S. Laurentius Justinianus.

S. Augustinus.

S. Basilius.

S. Bernardus.

S. Gregorius.

S. Hieronymus.

CONCEPTUS I.

Israëlitæ Gabaenorum sceleribus ad Justitiæ zelum inflammati, ulcisci DEI offensam se præparant: *Egressi sunt itaque omnes filii Israël, & partes congregati quasi vir unus de Dan usque Bersabee, & terra Galaad.* Judic. cap. 20. Ita congregati priusquam Benjamitas aggrediuntur, & invadunt, una simul in Maspha descendunt: *Quasi vir unus ad dominium in Maspha:* cur descendunt prius in Maspha? Respondet Tirinus commentario in Judicum cap. 20. *Locus orationis erat in Maspha:* ante pugnam omnium primò ad orandum conveniunt, & sic ab oratione incipientes pugnam ingressi, opus hoc cum prece inceptum, triumphis resplenduit nobilitatum. Desuper S. Cajetanus: *Optimum principium, convenire ad supplicandum Deo.* Qui precando,

Consumatio.

cando, orando, opus suum incipit, fructuose finiet, ad exoptatum scopum pertinget.

CONCEPTUS II.

In Apocalypsi cap. 1. se Christus Dei Filius: *Alpha, & Omega*, id est: Principium, & Finem intitulat: cur Principium & Finem? quare se principium nominet intelligo, à Deo enim omnia habent originem, esse, & existentiam; sed cur & finem se vocat? Ideo inquit Helias apud Nazianzenum, principium, & etiam finem se vocat: ut qui cum Deo opus bene incipit, precando, orando ante opus, divino suffragio adjutus, non aliter quam feliciter opus finiet, desideratum intentum obtinebit; opus quam optime conducet, terminabitur, eventum videamus oculis. Josue c. 6.

CONCEPTUS III.

Ad urbem Jericho fortunatissimi sunt Judæi, urbem milite obarmatam, & bellicis machinis præunitam, firmiter clausam, optimè prævisam; capiunt, in potestatem suam redigunt: *Jericho clausa erat, atque munita, &c. cæperunt civitatem.* Josue cap. 6. Hi ipsi gloriosi, ac victoriosi milites, jam triumpho audaciores in Haienses vicinorum strage perterritos, nec munitionibus bellicis obarmatos, manum cogunt, sed infelicissimo eventu à Haiensibus cæsi, in fugam pulsi, indecorè terga vertere coguntur: ita Josue cap. 7. *Ascenderunt tria millia pugnatorum, qui statim terga vertentes, percussi sunt à viris urbis Hai.* Quæ est causa, quòd ad Hai paucissimis viris munitam cædantur, in fugam vertantur, qui contra tot bellatores milites, in munitissima civitate Jericho, victores exstiterunt? in utràque actione initium considerare lubeat: quali modo nempe Judæi tam ad Hai, quam ad Jericho expugnandam, inceperunt, & causa felicitis, ac infelicitis eventus patebit: Ad Jericho dum venissent Judæi, omnium primò occupantur precibus, clamore, & vociferatione ad Deum: *Clamabit omnis populus vociferatione maximâ.* Apud Jericho auditur prius indulgentiæ sonus, prius Arca religiosè ducitur hume-

humeris Sacerdotum sublata, prius populi clamor divinum sibi
 asciscit auxilium: ergo ab expiatione, Deique placatione ince-
 ptum, felici victoriâ nobilitatum est bellum. Ast Hai invadunt
 nullâ præmissâ oratione, non circumfertur Arca, non vociferatur
 populus à Deo auxilium petiturus, hinc infelices cadunt, turpiter
 preces fundunt, victoriosi, gloriosi fuerunt: ecce ad oculum ex-
 emplum patet, preces si actionibus præmittimus, pro auxilio,
 submissò genu Deum si ante invocamus, opera si cum Deo, cum
 Alpha incipimus, Omega, felicem finem & exitum sortimur. Ini-
 tio operum si preces desint, deerit & felix eventus, emanabit opta-
 tus scopus. Expertus est Rex Saul.

CONCEPTUS IV.

David felix ac gloriosus existit victor contra Goliath. 1. Reg.
 cap. 17. Saul infelicissimè pugnat contra Philistæos, 1. Reg. cap. 13.
 David puer armis inexpertus, Saul vir grandævus, miles exerci-
 tatus erat, unde ergò Saul infeliciter ceditur, & in montibus Gel-
 boë occumbit. David triumphat victoriis, ornatur coronis; in-
 fortunatissimi sui congressûs causam indicat Saul 1. Regum 13:
Faciem Domini non placavi. S. Cajetanus legit: *Non precatus*
sum. Preces, invocationem divini Numinis non præmisit Saul,
 hinc tam infortunatus ceditur, interiit, omnia perdidit. Econtra
 David ante certamen, & omnium primò supplices ad Deum mit-
 tit, Deum pro auxilio invocat, dein fundam vibrat, lapidem fron-
 ti illidit, gigantem sternit. Audiamus Scripturam: *Tu venis ad*
me cum gladio & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in no-
mine Domini exercituum, Dei agminum Israel. 1. Regum 17.
 S. Chrysostomus legit: *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in*
Deo; tu in clypeo, ego in prece. Non adèò magnæ erant Davidi
 à corpore vires, sed fuerunt maximæ à prece, ergò dum auxilia-
 res præcum manus assumit, lapide dexterè jacto, gigantem de-
 jicit; ubi novit David pro se stare preces, & hostem carere ora-
 tionis auxilio, pugnx provocationem ad se rapuit, & feliciter
 devicit: *Ego in prece.* O quantæ sunt vires orationis ad robo-
 randam

Pars II.

(D d)

randam

randam fiduciam, ad depellendam miseriam, ad reportandam victoriam! qui orationis subsidium abiecit, non est stabilis triumphus nullâ oratione firmatus, ut etiam calamitas non est stabilis, si adlit oratio afferens patrocinium, & numen reddens placatum. Ergo qui desiderat fortunatum actionis suæ exitum, à Jove, Deum orando, precando, sumat principium.

CONCEPTUS V.

Cain & Abel fratres offerunt DEO munera diversissimo eventu: *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* Genes. cap. 4. Cur finem optimum sortitur Abel, Cain frustratur? Causalem desumit S. Ambrosius ex cap. 4. Genes. ubi Deus ad Cain iratum inquit: *Nonne, si bene egeris, recipies.* 72. Interpretes legunt: *Si bene offers:* ergo ideò Cain frustratur sine suo, vacuus meritis recedit, *ad Cain, & ad munera illius non respexit,* quia non bene obtulit, sacrificio aliquid defuit; & quid illud? Respondet Ambrosius in cap. 4. Genes. *Ante omnia debebat offerre primitias orationis;* oratio defuit, oratio non fuit præmissa, ideò malè cessit Cain, sine merito abiit. Oravit autem omnium primò Abel, munera sua Altissimo supplici prece dicavit, inde felici potitur sine, & eventu; *Respexit ad Abel, & ad munera ejus.*

CONCEPTUS VI.

Elia igneo curru ad cœlum raptus, 4. Regum 2. discipulo suo Eliseo pallium suum reliquit: Eliseus tripudians, quia pallium Eliæ habet, existimat unâ cum hoc pallio Eliæ, sibi cœlum & terram obedire debere; veniens ergo ad ripam Jordanis pallio Eliæ percutit fluminis undas, imperans, ut sibi viam, & transitum, ut olim Israëlitis, in partes sese dividendo, pararent, at furdæ aquæ Jordanis, non obediunt, susurro murmure fluere continuant, *& pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt divisa.* Secundâ ergo vice, & iteratò, pallio Eliæ Eliseus

scelus percutit, & tangit aquas Jordanis, & obedit unda, gradum silit, per medium se dividit, à dexteris, & à sinistris in parietem erigitur, iter, & viam Elisæo pandit, securum passum, ac transitum parat; *Percussit aquas, & divisa sunt huc atque illuc, & transitus Elisæus.* Quæ est causa, quod primâ vice ad tactum Jordanis se aquæ non dividant, iter, & viam non pandant, obediunt autem secundâ vice percussæ, ac tactæ? Advertit Abulensis; primâ vice Elisæus tangens aquas, nullas preces ad Deum fudit, auxilium divinum non implorâsse, hinc infructuosâ actio, surdæ aquæ, confusus Propheta. Secundâ vice, antequam aquas percuteret, preces præmisit, Deum invocavit; clamans in cœlum opem flagitat; *Ubi est Deus Elia etiam nunc?* Sic precibus præmissis, Dei auxilio invocato, quod desiderat, obtinet, eventu desiderato fruitur, obediunt undæ, transit per miraculum; oratio ergo præmissa operibus, & actionibus, eas prosperas, felices, fortunatas facit. Patet in Esther, & Judith.

CONCEPTUS VII.

Actu decretum Regis, ut pereant Judæi, valvis affixum, obvîè patuit: *Statim in Susa pependit edictum:* Esther c. 3. Mardocheus hortatur Reginam, supplicet Regi, ne pereat gens tota: difficilis hæc actio: lex erat Persis, si etiam Regina sine licentiâ prius obtentâ, ausa fuerit ad Regem ingredi, moriatur; si nunc Regina Esther ad Regem ingredi differt, terminus fatalis, dies præscriptus feralis sententiæ, elabetur. Ergo vitam propriam postponit, salutem omnium consulit Esther, sine licentiâ ad Regem ingreditur; & quid accidit? Ex horâ mentem Regis immutat, sibi affectum, populo Judaico gratiam impetrat: O felix actio! unde operi huic tam fortunatus, & exoptatus eventus? notare libet: Esther supplices suas ab oratione ad Deum incepit: *Confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat.* cap. 14. Adest S. Augustinus ep. 199. *Orantem statim exaudivit, quia cordis inspector eam verè dicere scivit.* Oratio præmissa operibus, actionem faciunt felicem, finem procurant gaudiosum,

(Dd) 2

diosum,

diosum, eventum prosperum. Judith debilis fœmina detruncat Holophernem, unde fœminæ tantæ vires, actio tam prospera? Preces præmisit: preces acuerunt gladium, roborarunt brachium, firmarunt animum: *Stetit Judith ante lectum, orans cum lachrymis, & labiorum motu, in silentio dicens: Confirma me Deus Israel, & respice in hâc horâ ad opera manuum mearum, ut sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas, & hoc quod credens per te fieri posse cogitavi, perficiam; audistis linguam, attendite dexteram: Cum evaginâisset illum (gladium inquam) apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac horâ, & percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus. Bis oravit, & bis percussit, ad opera manuum, ut Deus oculos convertat, orat, & dum exorat, felicem exitum impetrat; dum labia orationis muniuntur auxilio, reportatur victoria, triumphat fœmina.*

Epilogus.

Ergò, ut & nostræ actiones prosperæ sint, ac felices, preces ad Deum præmittamus; precando cum S. Matre Ecclesiæ: *Actiones nostras quasumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta, finiatur.*
Amen.



IN FESTO


INFESTO S. BARTHO-
LOMÆI.

CONCIO TERTIA.

Erat pernoctans in oratione. Lucæ cap. 10.

Textus.

Perseverandum est in oratione, ut impe- *Thema.*
tremus.

Sillex iteratis vicibus percussus, tandem in favillas *Incordium.*
erumpit; Academicus Lemma adscribit: *ictu non*
uno: ictus ad filicem repetendus est; ad primum,
secundum, tertium ictum si favillam negavit, dabit
tandem ad ictum decimum, vel vigesimum. Christus Salvator
noster, in sacris literis petra dicitur: *Petra autem erat Christus.*
1. ad Cor. c. 10. Hanc petram percutit, qui supplex ad Christum
orat, iteratis votis, qui petram hanc divinam pulsaverit, perse-
veranter oraverit, dabit indubiè cumulas pietatis, & clemen-
tiæ favillas. Testis Scriptura: *Et si ille perseveraverit pulsans,* *Textus Sacra*
dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo, quòd amicus sit, propter *Scriptura.*
improbis tamen ejus surget, & dabit illi, quotquot habet ne-
cessarios; & ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; querite,
& invenietis; pulsate, & aperietur vobis; omnis enim, qui petit,
accipit, & qui querit, invenit, & pulsanti aperietur. Lucæ 11.
Undè ulterius S. Lucas cap. 18. *Oportet semper orare, & non*
desicere. Audiamus Patres: Ille, qui volebat dare, quod pete- *Patres.*
batur, fecit, quia ille in petendo non defecit; quanto magis da-
bit Deus bonus, qui nos hortatur, ut petamus, cui displicet, si non *S. Augustin.*
petimus. S. Augustinus Serm. 5. cap. 5. de verbis Domini.

(Dd) 3

Et ite-

- Et iterum super Psalmum 65. *Ne deficias in oratione, DEUS quod concessurus est, etsi differt, non aufert. Nemo nostrum parvi pendat orationem suam: dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvi pendat eam, postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod novit melius. Ita S. Bernardus Serm. 5. in Quadrag. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, idem tibi dicitur, regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiant illud; esto igitur sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias, si dissimulat, quem rogas; esto vacillator, ut regnum caelorum accipias, esto violentus, ut vim ipsi etiam inferas caelis. Bona violentia, quam Deus non offenditur, sed placatur; proximus non laditur, sed iuvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur, bona, inquam, violentia, quam non queritur lucrum cito periturum, sed Regnum acquiritur sine fine mansurum. Docet S. Gregorius hom. 1. in Evang. Sicut certaminis bravium non assequitur, qui antequam metam attingat, deficit, sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non existenter importunus. Docet S. Laurentius Justinianus ligno vita.*
- Cassiodorus. c. 4. Christus vult oratores suos omnimodè importunos, humilis quippè importunitas flexit sæpè animos duros. Scribit Cassiodorus lib. 5. cap. 24. Sæpè durè differs, ut petere doceas, dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem. Inquit S. Anselmus lib. meditationum. Qui violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo: docet S. Ambrosius Serm. 15. Peritina oratio pertingit ad finem, etsi tibi in initiis sicca, & velut saxea videatur, oleum tamen gratiarum de hoc durissimo saxo elicies, modò perseveres, modò te longior mora non dissolvat, modò tua vota dilatione non lentescant. Gillibertus Serm. 8. in Cantica. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ desuper Conceptus dabo,*

CONCEPTUS I.

Civitas obsessa tandem ad deditiōem cogitur, ut portas ^{Confirmatio.} aperiat, petitioni annuat, quando? dum constanter, perseveranter, multo tempore, ignitis globis, ac tormentorum ictibus fuit impetita. Civitas elegantissima, ac ditissima cœlum est, adaperiet tandem nobis januas suas, dabit dona & gratias, voluntati nostræ consentiet, annuet votis, postquam perseveranter ignitis precationum globis, & orationum impulsibus, constanter, perseveranter impetiverimus: videamus practicè in muliere Cananea: filiam habuit à Dæmonio obsessam, currens ergò post JESUM rogat: *Clamavit dicens ei: Misere mei Domine, Fili David, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Matth. 15. Christus non dignatur eam verbo: *Qui non respondit ei verbum*, imò durissimè rejecit: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* O misera mulier! ergò penitus exclusa es, ergò cœlum tibi clausum est, ergò desolata nil impetras, non exaudieris? exaudita est tandem, impetravit humiliter petitem, largissimè gratiis divinis donatur, cœlum quàm largissimè supplicanti aperitur: *Respondens JESUS ait illi: Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Vim intulit cœlo, januas referavit, Christum Dei Filium sibi habet adstrictissimum; quando? Dum constanter, perseveranter precibus instat; ad primam repulsam, licet Christus nec verbo eam dignaretur, animum tamen non despondit; non tacet, non recedit, sed iteratò inelamat; ita ut molesta esset Apostolis: *Dimitte eam, quia clamat post nos*; graviter & severe reprehensa, atque ut canis rejecta, tamen nondum despondet animum, perseverat supplex invocando: *Etiā Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Hac constanti precatione devictus Christus, ad nutum fit mulieri: *Fiat tibi sicut vis.* Oratio perseverans, ac constans tandem impetrat, ac obtinet intentum. *Si permanseris postulando, etiā si non continuo accipias, accipies tandem.* Scribit S. Chrysofostomus hom. 24. in Matth.

CON-

CONCEPTUS II.

Primo Regum cap. 7. filii Israël ingentem victoriam miraculose de cælo obtinuerunt contra Philistæos: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illâ super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filiis Israel.* Tanta victoria, tam miraculosum adiutorium, quo medio Judæi impetrârunt? Impetrârunt perseverante prece Samuelis: procedentes in prælium clamant ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare, ad Dominum Deum nostrum &c. & clamavit Samuel ad Dominum pro Israel.* Nec cessavit Samuel orare, & non intermittit Deus victoriam præparare. Optimè S. Augustinus super Psalmum 65. *Ne deficias in oratione, Deus quod concessurus est, etsi differt, non aufert.*

CONCEPTUS III.

Narrat liber Exodi cap. 17. Judæos ingressos esse bellum cum Amalecitis, stetit anceps victoria longo tempore, jam vincebant filii Israël, & cæsi videbantur Amalecitiæ, brevi intervallo subiecerunt Israëlitiæ: quomodo factum, quod Judæi non continuerunt victoriam, sed mutabili eventu, jam victores, jam victi apparuerint? Causalem indicat sacer textus: tempore prælii iniecit cum Amalecitis, Moyses montem conscendit, orando pro populo suo, manum extendit, & quàm diu manus extentas Moyses tenuit, vicit Israel, dum parum remisit brachium, victus videbatur miles hebræus: *Cumque levaret Moyses manum, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Intrat hic Abulensis quaest. 29. per levationem, & extensionem manuum Moysis, orationem perseverantem, & constantem, per remissionem verò manuum, cessationem à precibus, & suffragiis, intelligens: quamdiu Moyses in prece perseveravit, manum ad Deum constanter extendit, vicit Israel, dum cessat, vincitur; in exemplum: oratio perseverans tandem impetrat, ac obtinet votum suum, etsi iustus Deus differt, non aufert: audiatur Abulensis: *Moyses*

Moyſes tunc videbatur iſtanter orare, & cum deprimebat manus, vincebantur Iſraelita, eò quòd tunc videbatur ceſſare ab interceſſione pro eis. Advertentes hoc Aaron & Hur locii Moyſis: ſuſtentabant manus ejus ex utrâque parte, & factum eſt, ut manus ejus non laſſarentur uſque ad occaſum ſolis, fugavitque Joſue Amalec, & populum ejus in ore gladii. Ut perfeveranter Moyſes manus elevabat, indefinenter orat, optatam ex integro victoriam obtinet, & triumphum. Ecce exemplum; non differamus preces, ſed perfeveranter orantes permaneamus, & certum obtinebimus ſolatium, exauditi triumphabimus.

CONCEPTUS IV.

Absolon occiſo fratre Ammon, proſcribitur à Parente Davide, qui Absolon fugit ad Itholomai filium Ammiur, Regem Geſſur. 2. Regum 13. Ibi abiectus in exilio ſcelus ſuum lugebat, omnem lapidem movit Joab Davidis belli Dux, ut apud Regem Absoloni gratiam impetraret, Rex patricidium dimitteret, exulem revocaret, in conſpectum iterum admitteret; tandem omnino Joab, quod rogaverat, impetrat; *Ecce placatus feci verbum tuum, vade, & revoca puerum Absolon.* 1. Regum 14. Scire opus eſt, quando Joab exauditus eſt, & gratiam Absoloni obtinuit, fors primis octo diebus, fors primo menſe, aut ſaltem primo quadrante anni? longius inſtitit Joab, toto nempè triennio: *Fuit ibi tribus annis.* 1. Regum 13. Per tres annos integros Joab importunè, ac moleſtè Regem pro exule ſupplicabat: *Oravit occultè pro illo, ut rediret in terram Iſrael,* inquit Abulentiſis quæſt. 15. Tandem exauditus impetravit reo veniam: *Ecce placatus feci verbum tuum, vade & revoca puerum Absolon.* Oratio perfeverans certò impetrat, honeſta pertinacia, dum generat ad ſpeciem ſaſtidium, extorquet votum. Oratio in modum imperantis ſupplicat, & in modum ſupplicis vim affectat; energia orationis, perfeverantia eſt. Gratà vi in Deum quodammodo prævalet oratio, ſi indefeſſà perfeverantiâ obarmetur, & fiducia religioſà muniatur.

Pars II.

(Ee)

CON-

Marci cap. 7. Jairus filix ferè animam agentis acri dolore percussus, ad Christum Dominum involat, ad genua supplex pro-
 cidit, & obsecrat: *Filia mea in extremis est, veni, impone ma-
 num tuam super eam, ut salva sit, & vivat.* Orantem Chri-
 stus sequitur, imò, ut melius dixerim, comitatur: *Et abiit cum
 illo.* Non minus in extremis, & ad mortem decubuit Lazarus,
 per expressum sorores Lazari Christo Servatori, utique pro eo
 deprecantes, periculum denunciant: *Domine, ecce quem amas,
 infirmatur.* Joann. 11. JESUS, quamvis faveret huic nobili fa-
 milix, tamen ocius non venit, ut sorores precabantur, *sed man-
 sit in eodem loco duobus diebus:* quis causam dicet, cur eos, quos
 diligebat, statim non exaudivit, ad infirmum sanandum ocius
 non venit? venit autem incunctanter ad Jairum ejus filium sanan-
 do, ac vitæ restituendo? Lego quidem sorores Lazari misisse nun-
 cium, infirmitatem fratris supplicando intimasse, ast iteratò pre-
 ces repetiisse, in oratione perseverasse, non lego, omittunt pre-
 ces ad Servatorem, ut veniat, & medicus tardat. De Jairo autem
 inquit Marcus: *Procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum mul-
 tum, dicens: quoniam filia mea in extremis est.* Notare libet:
deprecabatur eum multum: preces iteratò repetiit, in oratione,
 & supplici sua postulatione constans perseveravit, & ad votum
 habuit medicum; hoc factò nobis datur intelligi, quàm sit magna
 perseverantis orationis valentia, & quàm non fraudetur votis,
 assidua, ac multa precum instantia.

CONCEPTUS VI.

Luca cap. 18. teste, cæcus quidam juxta viam sedens, ad
 Christum preces fudit, ut visum reciperet: *Clamavit dicens: JE-
 SU, Fili David, miserere mei:* benignissimus Dominus omnino
 precibus annuit, visum dedit, & tenebrarum caliginem depulit:
& confestim vidit: Transi nunc mente ad alium cæcum, Joann.
 cap. 9. hunc Christus ad aquas natatorias Syloë mandat, in qui-
 bus se lavet: *Vade, lava in natatoria Syloë.* Hunc à nativitate
 cæcum confestim non fecit videntem, uti fecit videntem cæ-
 cum

cum illum ad viam: promptiorem se Christus erga hunc, quam erga illum exhibet, quæ causa subest, quòd IESUS adeò promptus sit in vota miseri cæci in via? causa fuit perseverans oratio, precatio continuata: ubi alter, si fors signo misericordiam à Servatore poposcit, de reliquo mutus confidet: Audiamus S. Lucam: *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans, & cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset? dicunt autem ei, quòd IESUS Nazarenus transirèt, & clamavit dicens: IESU, Fili David, miserere mei, & qui præteribant, increpabant eum, ut taceret, ipse verò multò magis clamabat: Fili David miserere mei; stans autem IESUS iussit illum adduci ad se. &c. Et dixit IESUS ei: respice, fides tua te salvum fecit, & confestim vidit.* Ecce continuata oratio, perseverans precatio IESUM stitit ad gratiam, ad misericordiam impertiendam. Ubi oratio sollicitavit aspectum, fugit caligo, ubi ora taciturnitate signata, & lumina diutius clauduntur; perseverans oratio fert fructum in flore, qui certò certius maturescet in tempore. Optimè scribit Enodius lib. 5. ep. 14. *Percipio spe futura, te deprecor.* Ex Evangelio liquet: *Propter improbitatem ejus surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.* Lucæ 11. Amicus Deus, importunâ prece, veluti lassatus, quod exoratur, dilargitur. Suavissimè S. Chrysostologus Serm. 39. *Negare noluit, qui sibi etiam neganti, qualiter extorqueretur, ostendit.* Nempè prece perseverante.

Hortor ergò cum S. Chrysostomo hom. 24 in Matth. *Per Epilogus.
mane in quærendo, atque pulsando, & absque
ambiguitate percipies.*

Amen.



(E e) 2

SEPTEM.